

INSTRUCTIO PRACTICA DE SS. MISSÆ SACRIFICIO

Juxta Ritum Romanæ Ecclesiæ offerendo,


Unà cum Rubricis ejusdem Missæ, brevibus Notis illustratis,


AD FACILIOREM DISCENTIUM USUM

A R. P. TOBIA LOHNER,
SOC. JESU SACERDOTE


Ex variis Authoribus, & manuscriptis Instructionibus collecta.







VENETIIS MDCCXXXIV.
Excudebat JO: BAPTISTA ALBRIZZI HIERON. FIL.



ILLUSTRISS. ATQ; EXCELLENTISS.

P R I N C I P I

D. NICOLAO DE BENEDICTIS

Ferentilli Duci, Umbriani Principi, Comiti S. Michaelis, Montis Rivosi &c.

JOANNES BAPTISTA ALBRIZZI

Venetus Typographus, ac Bibliopola.

QUi celeberrimi Scriptoris librum de ſumma Religionis re a-

gentem typis committere decrevi, præclare me facturum putavi, si Auspicia, & Auctoritatem secutus, Te, Princeps Illustriss., *atq;* Excellentiss., *Patronum præoptarem. Neq; me ab hoc consilio vel mea tenuitas, vel Tua magnitudo ita deterrere potuit; quin incredibilis humanitas Tua & mira comitas, quæ Te tantum Virum vel tenuioris fortunæ hominibus facilem reddit,*

multo magis alliceret. Nihil ad rem præſentem ornandam comminiſcor. Expertus dico. Nam cum pro ea qua polles eruditione, & bibliothecas inviſere, & præclaros libros conquirere ſoleas, ut meum quoq; Bibliopolium adires, favens fortuna fecit, & tanta benignitate Tua ita me Tibi devincires, ut quibus eam verbis explicare poſſim, non inveniam. Quapropter cum id mihi

faustum, fortunatumque, tum vero libello huic molis licet exiguæ, dignitate tamen rei, quam continet, satis amplo gloriosum maxime existimavi. Quis enim nobilissimæ, ac præstantissimæ Familiæ Tuæ nomen ac decus non vereatur? Quis Te Auspice ac Patrono Opus hoc libenter non excipiat, non probet, non admiretur? Nam ut Majorum præclarissimorum Tuo-

rum laudes , ornamenta atque decora missa faciam, tot ac tanta animi, fortunæque bona in Te Superi congessere , ut virtute , æquitate , sapientia , humanitate ; Feudorum multitudine , a majoribus acceptam nobilitatem , illosque ipsos quamvis nobilissimos magis ac magis honestare videaris. Itaque haud ab re, aut tempore futurum esse duxi, si munus hoc, quale-

cumq; ſit, Tibi offerrem, & ſingularis obſervantiæ in Te meæ publicum hoc teſtimonium darem, uberius etiam, ac magnificentius aliquando daturus, modo hoc libenti animo, uti confido, excipias, auctoritate foveas, & præſidio ampliſſimo tuearis.

PRÆFATIO
AUTHORIS.

QUod fluviis magno impetu ac velocitate ad mare velut nativum aquarum suarum fontem decurrentibus evenire quotidie cernimus, ut scilicet angustis a principio alveis conclusi, ipso suo progressu, aliorumque fluminum accessione paulatim augeantur, & in amplissimos denique profundissimosque amnes excrescant; hoc idem propemodum libello huic meo evenit. Prodierat scilicet & ipse anno hujus sæculi septuagesimo, angusto alveo, id est, vix quatuor quaterniones complectens, sed, ubi paululum decurrere, pluriumque Lectorum manibus versari cœpit, usque adeo variorum dubiorum & materiarum a variis propositorum accessione excrevit, ut ultra viginti nunc septima sua editione quaterniones complectens dignus sit visus, qui separato ab aliis Instructionibus volumine ederetur, id, quod post tertiæ Editionis vix ante biennium vulgata Exemplaria distracta hoc demum anno perfectum est.

Cæterum quo major eidem Instructioni Authoritas concilietur, noverit benignus Lector, me nihil fere ex proprio sensu allaturum, sed ex optimis quibusque, qui hac de materia scripserunt, Authoribus ea, quæ dixero, selecturum, quales præcipue sunt Cæremoniale Episcoporum, Bartholomæus Gavantus, Claudius Arnaudus, Michael Bauldrius, Bartholo-

meus Corsettus , Paulus Maria Quarti , Georgius Polacchus , & similes , quorum aliqui , quia Romæ vixerunt , & insuper Congregationis S. Rituum Consultores extiterunt , merito magnam in hac materia authoritatem habere debent . Quamvis neminem ita adstrictum velim his doctrinis , ut non potius adhorter ad consuetudines & Cæremonias in Ecclesia , cui quisque servit , legitime introductas , studiose observandas , quarum proinde si aliqua mihi occurrerint , non omittam eorum suo loco mentionem facere .

Complectetur autem hæc instructio sex potissimum partes , quarum prima ipsam Missæ definitionem & divisionem , & alia quædam ad eandem in genere spectatam pertinentia explicabit . Secunda Ritus in ipsa Celebratione observandos indicabit , & ita quidem , ut prius , quæ solemni & non solemni Missæ communia sunt , expositurus , subinde vero , quæ solemni propria sunt , cuivis Titulo subjuncturus sim . Tertia , quæ a Ministris , Diacono & Subdiacono præcipue in solemni Missa observari debent , declarabit ; cum enim & hi sæpe Instructionem desiderent , neque tamen ad manum semper Missalia habeant ; ex altera vero parte experientia compertum sit , memoriam non parum adjuvari , si ea , quæ ad quodvis Officium pertinent , ab aliorum Officiorum functionibus separata sub unum aspectum ponantur , visum est omnino operæ pretium futurum , si Ritus ab ejusmodi Ministris in Missa observandi breviter , clareque indicarentur . Quarta de Missis specialibus . Quinta de Processionibus & Benedictionibus , breviter tamen , cum pleraque circa has in Ritualibus

Diœ-

Diœceſanis accurate deſcripta habeantur, tractabit; Sexta denique Ordinem Miſſæ Rubricas juxta poſitas continentem, ideoque ad Ritus ipſos memoria facilius imprimendos peridoneum, cum ipſis etiam Notis Muſicis, ut Miſſalis loco ſervire queat, exhibebit.

Atque hic tandem præſentis opuſculi ſcopus & diviſio eſt; ad quem ſi tu quoque, Lector benevole, libellum hunc perlegendo collimaveris, efficies, ut ſpero, ut neque me ſcriptionis, neque te lectionis pœniteat. Fruere ergo labore meo, lege, ac vale.



NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Tommaso Maria Gennari Inquisitore nel Libro intitolato: *Instructio Practica de SS. Missæ Sacrificio juxta Ritum Romanæ Ecclesiæ offerendo, una cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis; Ad faciliorem discentium usum a R. P. Tobia Lohner, Soc. Jesu Sacerdote ex variis Anthoribus, & manuscriptis Instructionibus collecta*, non vi essere cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a *Giambattista Albrizzi q. Girolamo Stampatore*, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 12. Marzo 1733.

(Gio: Francesco Morosini Cav. Rif.

(

(Pietro Grimani Cav. Proc. Rif.

Agostino Gadaldini Seg.

PARS I.

DE MISSA IN GENERE.

De hac tria potissimum dicenda occurrunt:

1. Quid sit, & quotuplex?
2. Quid circa Ritus in communi sit observandum?
3. Quid circa Paramenta specialiter sit notandum?

TITULUS I.

Quid, & quotuplex sit Missa.

QUÆSTIO I. Quid sit Missa? Resp. Eam nihil aliud esse, quam *Verum & incruentum Sacrificium in nova Lege, ac Suprema Cœna a Christo institutum & DEO per legitimum Ministrum, cum certis Ritibus & Cæremoniis, tum ad delenda peccata, tum ad gratias pro beneficiis agendas, tum varias gratias obtinendas, tum ad supremum Ipsius Dominium profitendum, offerri solitum.* Etsi autem Baron. ad Annum 34. Christi num. 52. a voce Hebræa *Missach* Spontaneam oblationem significante, & prima voce a S. Jacobo Apostolo usurpata dictam putet, rectius tamen Gavantus, Azor, & alii a Vulgo potius introductam, & ab ultimis verbis: *Ite, Missa est*, scilicet *Hostia vel Oblatio nostra ad DEUM*, desumptam esse censent.

Quæstio 2. Quotuplex sit Missa? Resp. Eam communiter in varias species dividi. 1. In Missam *Solemnem & non solemnem.* Illa est, in qua nihil omittitur, quod ad solemnitatem spectat, atque adeo Ministri Sacri, incensatio, Pacis osculum adhibentur. Ista est, in qua omnia ista, aut pleraque certe omittuntur. Gav. tit. 2. n. 5. Verum hæc definitio nonnullis stricta nimis videtur, quia ex ea sequeretur in

plurimis Ecclesiis, ubi toto anno nulli Ministri parati, aut osculum Pacis adhibetur, nunquam Missam solemnem cantatum iri: quare putant, Missam solemnem eam dicendam, quæ ordinarie cantatur in Ecclesiis: non solemnem vero, quæ legitur tantum; & hanc opinionem colligunt ex eo, quod, teste Michaele Bauldrio p. 3. c. 12. olim nullo modo licuerit Sacerdotibus Missas privatas ante Tertiam Horam celebrare, ne Populus a Missa solemni distraheretur, cum tamen non sit credibile, Missam hanc solemnem, quæ quotidie tunc celebrabatur, semper cum Diaconis & Incensationibus peractam esse, sed solummodo cantatam, sicuti de facto in multis Ecclesiis fieri solet, & ad distinctionem Missarum non solemnium seu privatarum solemne Officium, seu nostro idiomate das Hochampt vocatur. Prior tamen sententia magis fere apud Authores, utpote qui Gavantum sequuntur, recepta est. 2. Dividitur *in conventualem seu publicam, & privatam*. Illa est, quæ immediate post Horas diurnas in Summo Altari dicitur: Ista, quæ alio quocunque tempore a Personis privatis pro arbitrio legitur. Bauldrius p. 3. c. 1. n. 5. 3. Dividitur in Missam *de Tempore* seu *Die*, ut alii vocant, & *Votivam*. Illa est, quæ juxta Calendarii Ecclesiastici Universalis vel Particularis a certis Ecclesiis confecti præscriptum celebratur: Ista est, quæ pro voto, id est, arbitrio rationabili Sacerdotis aut aliorum, non secundum Calendarii ordinationem legitur. Gavant. p. 1. tit. 4. lit. N.

TITULUS II.

Quid circa Ritus in communi sit observandum?

TRia præcipue scienda & observanda sunt illi, qui solidam atque perfectam in Ritibus addiscendis & exercendis praxin obtinere cupit. 1. Quid & quotuplices sint Ritus: 2. Quid de Rubricis, a quibus ejusmodi Ritus præscribuntur, sit sentiendum? 3. Quis modus in talibus Ritibus addiscendis sit observandus, quæ singula seorsim sequentibus §§. breviter pro instituto explicabuntur.

§. I.

§. I.

Quid, & quotuplices sint Ritus Missæ?

I. QUÆSTIO I. *Quid sit Ritus, seu, ut alii vocant, Cæremonia Missæ?* Resp. Esse actionem quandam externam seu sensibilem ad Sacrificium Missæ religiose ac decenter offerendum institutam, uti Canisius c. 4. §. 8. definit, ubi etiam recte addit, ejusmodi cæremonias ob triplicem potissimum finem ab Ecclesia institutas esse. 1. Ut sint signa, testimonia & exercitia cultus interioris, quem DEUS inprimis requirit. 2. Ut, quemadmodum Concilium Tridentinum *Sess.* 22. *c.* 5. loquitur, Majestas tanti Sacrificii commendetur, & mentes Fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitentur. 3. Ut, quæ ad cultum divinum promovendum, & ad disciplinam, concordiamque publicam conservandam, pertinent, honeste ac decenti quodam ordine, sicut Apostolus jubet, in Ecclesia peragantur.

II. Q. 2. *Quotuplices sint Ritus in Missa adhiberi soliti?* ℞. Si strictius sumantur pro actionibus ab ipso Sacerdote exerceri solitis (prout hic accipimus) & non etiam pro instrumentis & vestibus in Missa usurpari solitis, ad quatuor fere genera eos revocari posse, scilicet ad corporis inflexiones. manuum dispositionem, vocis formationem, & oculorum directionem.

III. Q. 3. *Quot sint corporis inflexiones?* Resp. Quatuor præcipue speciales corporis inflexiones (nam *Stationem* & *Sessionem* utpote nimis generales hoc loco non numeramus) in Missa usurpari solitas. 1. Solius *Capitis*, & hæc minima vocari potest. 2. *Humerorum*, quæ media appellatur, & fieri debet, quotiescunque in Rubricis habentur hæc aut similia verba: *Inclinet se, inclinatus, aliquantulum inclinatus* Bauldrius p. 3. c. 5. n. 2. 3. *Corporis*, quæ profunda vocatur. 4. Denique *Genuum*, quæ interdum uno, interdum utroque genu peragitur, & profundissima reverentia dici potest.

IV. Q. 4. *Quot sint Manuum dispositiones.* Resp. Septem diversas ejusmodi dispositiones adhiberi. Prima est, ut *extensæ in aere gerantur*: & tunc ita teneri debent, ut una palma alte-

alteram respiciat, digitique omnes simul jungantur, quorum summitas Humerorum altitudinem, distantiamque non excedat Gavant. & Rubrica Miss. tit. 5.

Secunda, *ut extensæ super Altare ponantur*; quo in casu attendendum est, ut ante consecrationem super ipsum Altare, post illam vero supra Corporale ponantur. Bauldrius p. 3. c. 4. n. 12.

Tertia est, *ut juncta utraque in aere ante faciem vel pectus suspensa teneatur*; & tunc ante Consecrationem, & post ablutionem sumptam pollex dexter super sinistrum ponendus, post Consecrationem vero, quia pollex & index juncti tenentur, ipsi etiam pollices & indices inter se juncti tenendi sunt Gavant. & Rubric. tit. 3. n. 1.

Quarta, *ut juncta utraque super Altare teneatur*, & tunc idem, quod circa situm pollicum paulo ante dictum est, observandum erit; ipsæ vero manus ita Altari applicandæ sunt, ut digiti parvi duntaxat frontem anterioris tabulæ seu mensæ Altaris tangant, residuo manuum inter Altare & se retento, quod quidem non tantum ante, sed etiam post Consecrationem observandum est. Rubr. tit. 4. n. 1. Unde non sunt imitandi, qui post consecrationem totas manus, atque ipsos etiam parvos digitos supra corporale ponunt, ut si quæ forte particula Sacerdotis e manibus excideret, non in terram, sed super corporale caderet; nam hæc nimis scrupulosa diligentia expresse Rubricis contraria est, quæ *tit.* 14. *n.* 1. ubi manus ita supra Altare ponendas dixit, ut parvi digiti frontem Altaris tangant, hæc verba addit: *quæ omnia semper observantur, cum manus junctæ super Altare ponuntur. Gavant. p. 2. tit. 9. litt. a.* NB.

Quinta, *ut juncta & extensæ super oblata teneantur*: uti semel duntaxat paulo ante consecrationem contingit; & tunc quidem Gavantus tit. 8. p. 2. lit. T. cum Diana ibidem citato putat pollices supra manus jungi debere, alii tamen communius & commodius infra manus eosdem conjungere solent; id quod ipse etiam Arnaudus p. 2. tit. 8. n. 9. etsi in aliis plerumque Gavantum sequatur, faciendum censet, atque ex actis Ecclesiæ Mediolanensis constare ait.

Sexta, *ut simul extendantur, & eleventur*: & tunc cavendum est, ne manus extensæ prius deprimantur, & quasi ex

Pro-

Profundo eleventur, sed immediate a loco junctionis usque ad humeros, & intra distantiam eorundem extollantur Rubric. tit. 4. n. 3.

Septima, *Ut una manus in Cruce formanda, vel alio quopiam opere faciendo occupetur, & altera quieta teneatur*, & tunc generalis est regula, ut, si celebrans se ipsum aut alios signo Crucis signet, sinistram infra pectus, supra cingulum, & extra terminos Crucis ponat; si verò aliquid in Altari benedicat, aut aliud quid agat, v. g. folia vertat, nunquam altera manus in aere suspensa, sed semper in Altari posita teneatur, nisi forte & ipsa in re aliqua tenenda occupetur, ob quam causam Rubricæ tit. 3. n. 5. postquam dixerunt, manum in tali casu super Altare ponendam, addunt, *nisi aliter notetur*. Sed & illud in Benedictionibus hisce observandum est, ut dum seipsum Sacerdos signat, palmam manus dextræ ad se vertat: dum vero alia benedicit, digitum parvum ei cui benedicit, obvertat, sicque totam manum dextram extensis pariter & junctis digitis extendat. Rubric. tit. 3. n. 5.

V. Q. 5. *Quot vocis formationes in Missa adhibeantur?* Resp. Tres potissimum adhiberi, *altam* scilicet, *mediam*, & *submissam*; ex quibus ad mediam potissimum attendendum est; nam reliquæ duæ, quando adhibendæ sint, ex praxi quotidiana solemnium Officiorum facile constat.

VI. Q. 6. *Qualis Oculorum directio in Missa usurpanda sit?* ℞. Duplicem potissimum, *Elevationem* scilicet & *eorundem depressionem*. Quando autem tam hæc, quam aliæ supra enumeratæ cæremoniæ actu ipso exercendæ sint, in compendio cæremoniarum circa finem partis secundæ hujus libelli afferendo apertius dicetur.

§. II.

Quid, & quotuplices Rubricæ sint?

I. QUÆSTIO I. *Quid sint Rubricæ?* ℞. Eas nihil aliud esse, quam Leges & directiones in Missali vel Breviario ad rite celebrandam Missam, vel Officium divinum recitandum præscriptas, & sic dictas quia rubeus color in Titulis & Capitibus ordinarie (saltem olim) adhibebatur. *Gavant. p. 1. lit. A.*

II. Q.

II. Q. 2. *Quotuplices sint Rubricæ?* Resp. Duplices esse, nam aliæ sunt *Præceptivæ*, aliæ *Directivæ*. Illæ obligant ad mortale ex genere suo, nisi parvitas materiæ aut inadvertentia excuset, (ut sentit communis sententia contra Fagundez de præc. Eccles. præc. 1. l. 3. c. 21. n. 9. asserentem, eas non obligare ad mortale, nisi ratione contemptus) hæ, cum sint de consilio, non obligant sub mortali, imo neque sub veniali juxta Tamburinum & alios apud P. Georg. Gobat in Alph. Sacrif. Tract. 3. n. 737. Etsi vero aliqui hanc exceptionem addant: *nisi ex contemptu omittantur*: recte tamen idem P. Gobat n. 739. post Tambur. Sotum, Layman: notat, neque tunc semper mortaliter peccari. Si enim contemptus in eo consistat, ut dicas: *Hanc parvi momenti cæremoniam non magnifacio*: vel, *hæc cæremonia est tam parvi momenti, ut non sit opus propter eam negligere meam privatam commoditatem*: non apparet, cur peccetur mortaliter: secus, si negligeretur ex Superioris vel Pontificis contemptu. Porro ut facilius cognoscatur, quænam Rubricæ sint præceptivæ, quæ directivæ duntaxat, seu quæ graviter obligent, quæ non, sequentes ab Authoribus regulæ assignantur.

I. Quandocunque tam multæ Ceremoniæ negliguntur, ut morali hominum judicio censeatur observari ritus alius, quam sit in Missali præscriptus, mortaliter peccatur: quia agitur contra expressam Ordinationem Pii V. in Bulla Missali præfixa in virtute S. Obedientiæ mandantis, ut Missæ juxta Ritum & Cæremonias sui Missalis celebrentur: quod ipsum etiam Concilium Tridentinum Sess. 22. post Canones præcipit. Ita P. Gobat. n. 740. & 746. cum Suarez d. 84. s. 2.

II. Quando in Rubricis habetur hæc vox: *gravissime* vel *graviter* peccat, certissimum est, peccatum mortale committi illas transgrediendo, seclusa ignorantia inculpabili, aut inadvertentia. Septies autem habetur, cum de defectibus Missæ agitur. 1. Si non in azymo conficiatur in Ecclesia Latina. 2. Si vinum cœperit acescere vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel si sine aqua, aut cum aqua non naturali fiat Sacrificium. 3. Si in forma addatur aliquid, quod significationem mutat. 4. Si celebret suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel quomodocunque Canonice impeditus. 5. Si cele-

celebret in peccato habens copiam Confessarii. 6. Si non habens Copiam Confessarii, sine Contritione in peccato mortali celebret. 7. Si integra Sacramenta non sumpserit extra casus in Rubrica Missalis concessos. Ita Gav. p. 3. tit. 1. n. 1.

III. Quando materia Rubricæ pertinet ad integritatem Sacramenti, seu Sacrificii, ejus omissio peccatum mortale continet. Ejusmodi sunt, quæ de pane, vino, aqua, intentione, forma, sumptione utriusque speciei sunt præscripta. In forma quoque particula *enim* non potest sine peccato mortali voluntarie omitti. Idem l. c. n. 2.

IV. Etiam illæ Rubricæ sunt Præceptivæ, in quibus concordant Doctores, eas esse de re gravi, ut de loco celebrandi non prohibito, de ara consecrata, de lumine, de hora celebrandi, de dispositione Animæ & corporis, jejunio scilicet a peccato, & a cibo, de Ministro, de Missali, Calice, Patena, Corporali, Palla, de Canone integre & secrete recitando, de prima Purificatione cum vino, de numero, munditia, integritate, & Benedictione vestium Sacerdotalium. Idem n. 3.

V. Rubricæ quædam sunt strictioris juris in Missis Conventualibus Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum, quia æquiparantur Horis Canonicis: imo sunt quasi finis Horarum, ad quem diriguntur. Ejusmodi est Rubrica de concordia Missæ Conventualis cum Officio: ad hanc enim Collegiatæ Ecclesiæ Sæculares (nam Regulares Collegiatæ tantum vi Regulæ & Consuetudinis Regulas interpretantis obligantur) tenentur ex stipendio suo. Gavant. num. 4.

VI. Prope præceptivæ sunt eæ Rubricæ, de quibus disputant Doctores, an obligent sub mortali, cujusmodi sunt de Matutino & laudibus ante Missam dicendis, de Mappis tribus, de Luminaribus cereis, quæ licet sint controversia inter Doctores, Pontifices tamen Pius V. & Clemens VIII. ea tanquam tutiora approbarunt, teste Gavant. l. c. n. 5.

VII. Dubiæ sunt reliquæ, nempe de principio Auroræ, sive Meridiei, de Cruce in Altari, de pedibus calceandis, de veste Talari, de Pileoli usu extra Canonem, de Orationibus ante Missam, ad vestes, & post Missam, de Missa non approbata, nisi pro quibusdam Ecclesiis, vel de Requiem in Festo

Du-

Duplici, & diebus aliis prohibitis, de Orationibus additis secreto dicendis ex devotione Celebrantis, in quibus casibus utrinque Doctores disputant, an peccetur. Licet recte & prudenter moneat Gavantus n. 6. semper, quantum fieri potest, Rubricis adhærendum esse.

VIII. Qui prævidit, se non posse facere Sacrum nisi Cæremoniis aliquot omissis, debet perpendere gravitatem earundem, & causæ impellentis ad celebrandum, atque ex hac consideratione & comparatione judicare, sitne consultius, sine his sacrificare, quam ob earum servandarum impossibilitatem aut difficultatem omittere rem divinam. Suarez d. 85. s. 2. Tambur. l. 2. c. 5. §. 2. n. 28. apud & cum P. Gobat in Alph. Sacrif. seu Tract. 3. n. 743.

§. III.

Quis modus in discendis Ritibus & Rubricis sit observandus?

I. Nihil æque conducit ad quasvis doctrinas facile discendas, firmiterque retinendas, quam si solide & ordinate proponantur, incipiendo a Fundamentis, quæ in unaquaque Scientia vel Arte tanquam prima principia supponuntur. Quare & in nostra materia proderit solidum & ordinatum modum in discendis Rubricis observare, qui quidem fere in sequentibus consistit,

II. Magnifaciat futurus Sacerdos notitiam & praxin horum Rituum, tantoque accuratius eos addiscere studeat, quanto magis eorum observatio tum ad publicam ædificationem, & authoritatem Ecclesiæ conciliandam, tum ad devotionis sensum in seipso excitandum conducit. Itaque non differat hunc laborem discendi usque ad ultimos dies ipsam primæ Hostiæ oblationem antecedentes, sed aliquot mensibus, aut certe hebdomadis prius se ab aliquo perito instrui curet, ut tum proprio exercitio, tum aliorum Sacerdotum observatione dexteritatem quandam facilitatemque in talibus Ritibus observandis acquirere possit.

III. Dum actu se ad discendos hos Ritus applicat, ante omnia integrum Missale percurrat, & quæ Missæ, aut partes ad Missam pertinentes quovis loco notentur, accurate discere stu-

studeat, ut suo tempore quidvis, si opus fuerit, cito invenire possit. Reperiet autem totum Missale in undecim partes distribui posse, quarum 1. Calendarium. 2. Rubricas Missæ. 3. Missas de Tempore ab Adventu usque ad Pascha. 4. Ordinem Missæ. 5. Missas de Tempore a Paschate usque ad Adventum. 6. Missas proprias Sanctorum. 7. Missas communes Sanctorum. 8. Missas votivas. 9. Orationes ad libitum dicendas. 10. Missas pro Defunctis. 11. Benedictiones varias complectitur.

IV. Ubi hanc notitiam acquisierit, studeat generalia principia circa Ritus Missæ addiscere, ea præcipue, quæ §. 1. n. 2. de diversitate Rituum explicata sunt, atque eorum perfectam intelligentiam acquirere conetur.

V. Bene perceptis hisce principiis incipiat ipsum Ordinem Missæ obiter percurrere, &, quo Ordine partes se mutuo subsequantur, accurate intelligere studeat, id quod perfacile illi erit, si ordinem Titulorum in sequenti parte ponendorum inspiciat, nam eodem prorsus ordine ponentur, quo mutuo se in ipsa Celebratione sequuntur.

VI. Tum quas Cæremonias quælibet pars requirat, ex Lectione Rubricarum & privata Instructoris explicatione addiscere conabitur, quem in finem non parum proderit Titulus postremus ultimæ partis, qui ex una parte Ordinem Missæ, ex altera parte Rubricas ad eum pertinentes continet. Cavendum tamen est, ne totam statim Missam addiscere quis velit, sed potius unam partem post aliam sumat, ut tanto accuratius partes ad illam pertinentes addiscere, atque in memoria retinere valeat.

VII. Ubi totam Missam didicerit, non omittat percurrere Compendium Cæremoniarum infra assignandum, in quo omnes Ritus ejusdem rationis ad unum titulum revocantur, id enim non parum juvabit ad hoc, ut, quo loco quivis Ritus adhiberi debeat, firmius memoriæ imprimatur.

VIII. Denique frequenter coram uno perito Instructore in fictitia Celebratione se exerceat,& alios etiam Celebrantes, si fieri possit,observet, ita tamen, ut non quidvis statim imitandum credat, aut erroris damnet, sed, si quid diversum ab eo, quod ipse doctus est,aut in Rubricis legit, advertat,ex suo Instructore aut aliis intelligere studeat, an non forte per

Con-

Consuetudinem illo loco diversus talis Ritus sit introductus, sicut infra circa ingressum ad Altare in simili casu videbimus.

TITULUS III.

Quid circa paramenta observandum sit.

TRiplicis potissimum generis Paramenta ad Missam requiruntur. 1. Altare convenienter ornatum. 2. Vestes debito modo præparatæ. 3. Calix rite instructus, de quibus in sequentibus §§. seorsim claritatis gratia agendum.

§. I.

De Altari.

I. QUÆSTIO I. *Quid sit Altare?* ℞. Esse superficiem planam ad Sacrificium Missæ offerendum *immediate* deputatam; per hoc enim distinguitur a templo, quod *mediate* tantum ad dictum finem ordinatur. Porro pro intelligendis melius Rubricis interdum *Ara* vocabulo utentibus notandum est, *Altare* ab *Ara* in hoc distingui, quod Altare significet ordinarie totam structuram, quam altare solemus appellare: Ara vero eam tantum lapideam partem significet, quæ ipsum Calicem sustentat, uti clare videntur indicare Rubricæ Missalis §. 20. dicentes: *Altare, in quo SS. Missæ Sacrificium celebrandum est, debet esse Lapideum, & ab Episcopo consecratum: vel saltem* Ara *lapidea similiter ab Episcopo consecrata, in eo inserta, quæ tam ampla sit, ut Hostiam & majorem partem Calicis sustentet.*

II. Q. 2. *Quotuplex sit Altare?* ℞. Duplex, *immobile* scilicet seu *fixum*, & *Portatile*, sic dictum, quia ab uno loco in alium portari potest: quod interdum in Jure etiam *Viaticum* vocari solet, eo quod Viatoribus in usu sit.

III. Q. 3. *Quid in Altari præcipue considerandum sit?* ℞. Tria. 1. Substantia. 2. Ornatus necessarius. 3. Ornatus accidentalis.

IV. Q. 4. *Quid circa Substantiam Altaris observandum?* ℞. Itidem tria. 1. *Qualitas*: ut scilicet *Lapideum* sit (aut, ut Dicastil. Layman. & alii apud P. Gobat. *tr.3. cas.9. n.269.*

con-

concedunt, ex opere lateritio vel gypso constructum) saltem secundum eàm partem, qua calicem sustentat, uti sit in Altari portatili, quod plerumque ligneis asseribus inclusum est. 2. *Capacitas:* ut scilicet tam magnum sit, ut Hostiam & majorem partem Calicis tempore Consecrationis tenere possit. Ita Gavant. 1. p. tit. 20. 3. *Sanctitas*, ut scilicet ab Episcopo, aut certe, ut Pasqualigo decis. moral 44. & alii apud eundem P. Gobat. n. 279. & seq. volunt, per celebrationem Missæ bona vel mala fide factam sit consecratum. Etsi vero aliqui pro sanctitate hac etiam Reliquias Sanctorum necessarias esse putent, Suarez tamen d.81.s.5. docet, ex usu receptissimo patere, præceptum illud prorsus cessavisse, utpote occasione Hæreticorum duntaxat, qui honorem Reliquiis exhiberi solitum oppugnabant, latum.

V. Q. 5. *Quid ad ornatum necessarium Altaris pertineat?* R. Tria præcipue. 1. *Mappa*, quæ in necessitate simplex, & non benedicta esse potest, uti Tann. d. 5. q. 10. n. 48. Suar. Azor. Tamburinus & alii apud P. Gobat. n. 289. docent: extra necessitatem vero triplex, aut certe una duplicata & benedicta esse debet. 2. *Crux*, quæ saltem secundum communiorem sententiam necessaria est, licet Vasquez d. 233. n. 26. absque peccato etiam veniali sine ea celebrari posse putet, quod etiam P. Gobat. n. 269. approbat, si nequeat facile haberi, etiamsi quis ex devotione tantum celebrare velit. Multo minus vero Sacerdos scrupulum habere debet si nudam Crucem sine Crucifixi imagine habeat, quia hanc sufficere Suar. Vasq. Dicastillo, & plures alii contra Layman. Gavant. & ipsum Cęremoniale Episcoporum docent, eo quod Missale de sola Cruce loquatur, & Sacerdoti Caravacę Celebranti Crucem sine imagine Angeli attulerint. Imo Tamburinus l. 1. c. 6. etiam Cruce vel Crucifixo in pariete aut tabula ad latus depicta contentus est. Dignior quæstio est, an in Altari, in quo Ven. Sacramentum asservatur, Crucifixus collocari debeat? quæ quidem quæstio dupliciter formari potest; vel enim Sacramentum in Arca clausum tenetur, & tunc recte probat Gavantus *p.* 1. *tit.* 20. *lit. V.* in Altari ponendam esse Crucem, tum ob alias rationes ab ipso allatas, tum vel maxime ob Rubricas Missalis, in quibus *tit.* 4. *n.* 6. in Missa solemni celebrata in loco, ubi Sacramentum asser-

vatur, jubetur Sacerdos ter Crucem incensare, adeoque supponunt Rubricæ Crucem adesse. Vel publice expositum prostat, & tunc rectius dicitur cum Jordane, Tamburino & aliis abesse debere Crucem, uti consuetudo etiam Ecclesię Lateranensis probat, quemadmodum citati Authores testantur. Unde male citatur a Neoterico quodam Authore pro Sententia Crucem adesse debere asserentes Gavant. l. sup. cit. cum in illo loco tantum de Ven. Sacramento clauso loquatur, quando prostat vero, expresse *p. 2. tit. 14. n. 6.* dicat, abesse Crucem debere. 3. *Lumen*: sine quo teste Suarez d.81. f. 6. omnes Theologi sentiunt, non licitum esse sacrificare, atque adeo, si ante Consecrationem lumen extingueretur, & aliud haberi non posset, Missam continuari absque peccato mortali non posse, etiamsi Viaticum pro moribundo consecrandum foret, uti expresse docent Fagund. p. 22. c. 22. & Quintanadvenn. apud Busenbaum l. 6. c. 3. du. 3. n. 11. Licet autem Rubrica duo Candelabra cum candelis accensis præscribat, non desunt tamen probati Authores, ut Dicastillo, Tamburinus, Layman, Azor, & alii, qui in necessitate unicum lumen ex oleo vel sebo sufficere contendunt.

VI. Q. 6. *Quid ad Ornatum accidentalem Altaris pertineat?* Resp. sequentia fere. 1. *Pallium*, sive *Antependium*, ut vulgo vocatur, quod etsi ex lino, serico, vel alia simili materia esse conveniat, usus tamen approbat, ob paupertatem vel aliam justam causam posse tolerari etiam ex pictis asseribus, aut alia communi materia factum, teste P. Gobat. n. 290. Imo Gavantus tit. 20. lit. T. etiam sine eo celebrari posse asserit, si Altare Auro, vel lapide pretioso sit ornatum. 2. *Candelabra* aliquot, quorum in Solemnibus Missis, si haberi commode possit, regulariter sex adhiberi debent, etsi non prohibitum sit plura in Altari collocari, ut ex Rubricis p. 2. tit. 4. n. 5. colligitur. In privatis tamen Missis, nisi aliud ratio Festi exigat, non ultra duas candelas adhibendas esse, etiamsi Vicarii Generales celebrent, S. Congregatio Rituum 7. Aug. anno 1627. decrevit. 2. *Missale* super pulpito aut cussino collocatum, &, si fieri possit, etiam tegumento colori Missæ convenienti ad majorem decorem & reverentiam saltem in majoribus Festis involutum: & Missale quidem Bonacinna & alii communiter sub gravi peccato adhiberi de-

bere

bere volunt, contrarium tamen non improbabiliter docent Lugo, Dian. Laym. & alii apud Busenb. l. c. n. 5. modo Sacerdos moraliter certus sit, se non erraturum, aut ad hunc ipsum finem Missam in charta descriptam ante se habeat. 4. *Tabella Secretarum*, parva campanula, ampullæ vitreæ vini & aquæ (quas tamen usus probat, ex alia materia fieri posse) cum pelvicula & manutergio mundo.

§. II.

De Vestibus Celebrantis.

I. QUÆSTIO I. *Quæ Vestes requirantur ad celebraturum Sacerdotem vestiendum?* Resp. Sex potissimum, scilicet *Humerale* seu *Amictus*; *Alba* seu *Tunica*; *Cingulum*, *Manipulus*, *Stola*, *Planeta*. Ex quibus quidem Alba & Planeta sine peccato gravi omitti non possunt unquam, nisi in gravissimo periculo vitæ propriæ, aut salutis alienæ amittendæ, sine una tamen alterave ex reliquis celebrari posse, vel ad vitandum murmur populi, vel Infirmum communicandum, vel etiam fervorem devotionis, necessitatem audiendi sacri die Festo, acquisitionem stipendii; si non sit dives Sacerdos, probabiliter docent Tamburinus l. cc. 5. §. 3. q. 5. & alii Plures apud, P. Gobat. n. 351. cc. qui n. 353. addit, posse Sacerdotem in Cinguli defectu ligamina Casulæ, vel ipsam Stolam accipere, quæ etiam pro Manipulo, uti hic vicissim pro Stola, servire potest.

II. Q. 2. *Quid in his vestibus præcipue observandum sit?* Resp. Tria præcipue. 1. *Color*, quem Missæ convenientem oportet esse; de quo P. Gobat. n. 382. sic loquitur: Rubricæ tit. 18. n. 1. Verbo *Debet* utuntur; sed hoc Verbum non capiunt pauperes Ecclesiæ; nec facile comittetur peccatum grave non parendo huic Rubricæ, nisi scandalum adsit sicut si die Resurrectionis neglectis, quæ habentur, aut albis, aut rubris Casulis, nigræ adhiberentur. Sed utique quocunque die satius est facere Sacrum in quocunque colore, quam omittere, nec damno eum, qui adhibet Velum Calicis discolor a Casula. Ita ille. Illud tamen adhuc quæri potest hoc loco, quando mutatio Paramentorum facienda sit? & respondetur, eam in primis Vesperis faciendam esse. Si autem Vesperæ

non dicuntur integræ de aliquo, tum initio Vesperarum is color adhibendus est, qui Festo, de quo Capitulum dicitur, congruit. Quod si Officium & Missa discordant, color Altaris Officium sequi debet: vestium autem Sacerdotalium color, Missæ respondere: quæ diversitas in Feria tertia Rogationum, & in Vigiliis infra Octavas occurrentibus accidere solet. Pro Missa vero solemni convenit, ut Pallium Altaris cum colore Paramentorum Missæ concordet. 2. *Munditie*: quam adeo necessariam Gordanus l. 4. tit. 1. num. 278. & alii Authores apud P.Gobat n.204. cc. esse volunt, ut Sacristæ Præfectos peccati mortalis damnare audeant, si eorum culpa fiat, ut vestes & paramenta valde immunda non mundentur, priusquam in iis sacrificetur. Celebrantem tamen, qui, si alia haberi non queant, utitur talibus paramentis, non peccare Suar. f. 81. r. 3. asserit. 3. *Benedictio*: quæ adeo necessaria est, ut teste P. Gobat n. 198. omnes peccati mortalis damnent illum, qui utitur non benedictis, excepto cingulo, de quo mitius loquuntur Fagund. præc. 1. l. 3. n. 12. Diana p. 2. tr. 14. ref. 68. & plures alii ab eodem n. 199. relati.

Q. 3. *Cur ejusmodi vestes ab Ecclesia in Missa adhibeantur?* Resp. id eam Apostolica traditione, & Veteris Testamenti exemplis edoctam, ut Concilium Tridentinum S. 25. c. 5. loquitur fecisse, ut videlicet, quoniam Religio, teste S. Hieronymo l. 14. sup. Ezech. alterum habet in Usu, alterum in Mysterio, Fidelium mentes per visibilia religionis ac pietatis signa ad altissimarum rerum contemplationem excitaret. Hinc quia in Missa Sacrificium in cruce oblatum, atque adeò Passio Christi præcipuè repræsentatur, etiam Vestes ad hunc finem accommodatæ electæ sunt, ita ut *Humerale* sive *Amictus* velum, quo Christi Oculi & facies ex parte tegebatur: *Alba* vestem, qua ab Herode ludibrii causa fuerat indutus: *Cingulum* funes, quibus in lumbis erat constrictus: *Manipulus*, funes, quibus manus fuerant ligatæ: *Planeta* vestem purpuream à militibus circumdatam significaret.

§.II.


§. II.

De Calice.

I. QUÆSTIO I. *Quid potissimum in Calice spectari debeat?* Resp. Tria præcipue. 1. Materia. 2. Ornatus. 3. Consecratio.

II. Q. 2. *Quid circa materiam observandum?* Resp. Ut, quantum fieri potest, Calix aureus vel argenteus sit, aut Cuppam saltem argenteam & intus inauratam habeat. Tannerus tamen d. 5. q. 10, n. 52. & alii passim volunt sufficere, si stanneus sit, quemadmodum usus in multis locis probat. Lugo d. 20 n. 90. etiam cupreum intus inauratum permittit, asserens Romæ innumeros esse tales: Imo nec plumbeum in necessitate, vel magna paupertate repudiant Theologi, teste P. Gobat n. 306. qui etiam addit ex communi sensu, & usu, non esse necessariam interiorem deaurationem, si argenteus vel stanneus sit.

III. Q. 3. *Quid circa ornatum observandum sit?* Resp. 1. Ad hunc Ornatum requiri *Purificatorium*, in cujus medio, vel angulis Crux acu formetur, ut ab aliis linteis dignoscatur, quod tamen necessario benedictum esse non debet, uti Gavantus p. 2. tit. 1. lit. I. cum Suar. p. 3. d. 81. s. 8. docet. Hinc ejus defectum, mundum aliud Strophiolum supplere potest: sed ad profanos usus deinceps non adhibendum. 2. *Patenam*, quæ ordinarie ex eadem, qua Calix, materia confici debet: & pariter etiam cum illo consecrari. 3. *Pallam & Corporale*, quæ saltem secundum eam partem, qua Calicem tangunt, ex lino esse deberent, ut Rubricæ volunt, licet ex Cannabe confecta approbet usus etiam a Gavanto p. 1. tit. 1. litt. P. non improbatus. In eorum extima parte sericum & aurum addere non est prohibitum. 4. *Velum & Bursam* ejusdem, si fieri commode potest, coloris cum Sacerdotis vestibus. Bursa autem Calici sic imponi debet, ut pars aperta portantem, non autem dextram illius respiciat Gavant. l. c. lit. N. Qui tamen in casu aliquo absque his, id est, Velo & Bursa, celebraret, non videtur ullius culpæ reus; sicut nec gravis peccati damnandus est, teste P.



Gobat. n. 314. qui ſine Purificatorio aut mundo ſtrophiolo celebraret, ſi facile haberi non poſſit.

IV. Q. 4. *Quid circa Conſecrationem Calicis notandum ſit?* Reſp. Duo præcipue, quomodo ſcilicet ea *obtineatur*, & *amittatur*, ex quibus prior ſcilicet obtentio Conſecrationis, retinet commune nomen, & *Conſecratio* vocatur, poſterior vero *Execratio* ſeu *Reſecratio* appellatur. Et *Conſecrationem* quidem quod attinet, etſi Diana *p.* 5. *tr.* 13. *reſ.* 60. cum aliis pluribus non improbabiliter ſentiat, etiam tunc conſecrari Calicem, quando in eo ſive bona, ſive mala fide celebratur, quia tamen Lugo *d.* 20. *de Euch. n.* 62. Dicaſtillo & alii non immerito negant ejuſmodi contactum Sacri Sanguinis ſufficere ad Conſecrationem(alioqui enim & Barba Sacerdotis, aut pannus, in quem ex caſu effuſus eſſet Sacer Sanguis, conſecrati cenſeri deberent; quod nemo facile conceſſerit)ideo rectius faciet Sacerdos, ſi etiam talem Calicem ab Epiſcopo aut alio poteſtatem habente conſecrari curet, etſi prior ſententia ob ſuam probabilitatem ei ſaltem in caſu neceſſitatis ſervire poſſit. 2. *Execratio* Calicis tunc ſolum facta cenſeri debet, ſi ita frangatur, ut inutilis ad uſum Sacrificii effectus ſit. Unde licet Suarez putet, Calicem, ſi denuo inauretur, execratum cenſeri debere, idemque alii judicent, ſi eodem Hæretici aut alii mali homines impie abuſi ſint, rectius tamen de utroque caſu id negant Lugo, Laym. & alii apud & cum P. Gobat. n. 310. qui recte monet n. 312. tum omnibus, tum præſertim Sacerdotibus ab Epiſcopi ſeu Suffraganei reſidentia remotis imbibendam, & ſæpe practicandam eſſe doctrinam communem *ex cap.* 2. *de Sacram. non iter.* deſumptam, videlicet non eſſe facile iteranda illa Sacramenta aut conſecrationes, quæ de jure communi & per ſe ſolum ſemel fieri ſolent: Addunt tamen plerique ſupra citati Authores, in ejuſmodi caſibus decere, ut ſaltem aqua benedicta abluatur Calix; quam ablutionem P. Gobat. n. 311. ab Epiſcopo, aut ſaltem ex commiſſione illius fieri debere putat, alii tamen Authores plerique hoc non exigunt.

PARS

PARS II.

DE RITIBUS IN IPSA MISSA OBSERVANDIS.

IN his indicandis hic fere ordo observabitur, ut prius ea, quæ tam solemni, quam non solemni Missæ communia sunt, explicentur: & tum demum ea, quæ solemni Missæ propria sunt, separatim exponantur. Quamquam neque hæc etiam omnia in hac parte, sed ea tantum, quæ a Celebrante observari debent, sint referenda: nam quæ ad alios Ministros pertinent, rectius in tertiam partem differentur.

TITULUS I.

De præparatione Sacerdotis Celebraturi.

I. QUÆSTIO I. *Qualis præparatio a Sacerdote celebraturo sit adbibenda?* Resp. Duplicem potissimum, internam & externam. Prior in tribus consistit. 1. In puritate conscientiæ per confessionem vel contritionem procuranda. 2. In optimæ intentionis formatione, fervorisque ac propositi Sancta sancte tractandi instauratione. 3. In piissimo ac sublimissimo sensu erga hoc SS. Sacramentum acquirendo, desiderioque ad Christum dignissime suscipiendum excitando. Posterior itidem in tribus consistit. I. In Precibus certis præmittendjs. 2. In manibus lavandis. 3. In vestibus sacris induendis.

II. Q. 2. *Quales preces præmittendæ sint?* ℞. Triplices potissimum assignari. 1. *Matutinum & Laudes*, ad quas præmittendas Celebrantem sub mortali obligari ultra 30. Authores apud Dian. p. 2. tr. 14. 2041 contendunt, quorum tamen sententiam P. Gobat. n. 388. vix probabilem esse ait, cum nullam etiam sub veniali tantum ad eas dicendas obligationem agnoscunt Suar. to. 2. l. 4. c. 24. Tambur. & plerique hodie RR. 2. *Preces in Missali positæ* pro Sacerdotis Celebra-

lebraturi præparatione : ad quas tamen recitandas neminem obligari, sed, ut ipsum Missale dicit, pro opportunitate & arbitrio cujusque dici posse, Ferd. de Castro p. 1. c. 7. §. 1. n. 1. Tambur. & plerique Theologi tradunt. 3. *Preces illæ*, quibus Gregorius XII. 50. annorum indulgentias annexuit, atque adeo a multis Sacerdotibus tantæ gratiæ obtinendæ causa laudabiliter præmittuntur, suntque istæ: *Ego volo celebrare Missam, & conficere Corpus & Sanguinem Domini nostri JESU Christi juxta Ritum S. Romanæ Ecclesiæ, ad Laudem Omnipotentis DEI, totiusque Curiæ triumphantis : ad utilitatem quoque meam, totiusque Curiæ militantis, pro omnibus, qui se commendaverunt Orationibus meis in genere & in specie, & pro felici statu S. Romanæ Ecclesiæ : Amen. Gaudium cum Pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam & consolationem S. Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis Omnipotens & misericors Dominus. Amen.*

III. Q. 3. *Quid circa lotionem manuum observandum sit?* ℞. Id unum, ut, quemadmodum propter reverentiam Sacramenti instituta est, ita non facile omittatur, maxime cum ad eam sub veniali peccato obligari Celebrantem, multi AA. apud Dian. p. 10. tr. 12. n. 19. doceant : minorem scrupulum, imo nullum habere debere ipsum, si prælectionem Missæ, quam Rubrica manuum lotioni præmittendam ait, omittat, sentiunt plerique AA. & vero etiam praxis ipsa probat, apud eos maxime Sacerdotes, qui aut alios Celebrantes sequuntur, atque adeo omnia ab illis legitime disposita credunt, aut certe alioqui ob Festi solemnitatem unica oratione, quæ per signacula pridie disposita facile reperiatur, opus esse sciunt. Meminisse tamen convenit temporum, quibus contingit mutationem fieri in Orationibus, eo quod plures omnino similes concurrant: in tali enim casu expedit prævidere Missam, ut talis mutatio recte instituatur.

IV. Q. 4. *Quid circa vestes induendas maxime notandum sit?* ℞. Tria præcipue. 1. *Locus*, ut scilicet Paramenta non in Altari, in quo Missa facienda est, absque necessitate ponantur (hoc enim pro solis Episcopis & Cardinalibus fieri debere, S. Rituum Congregatio 3. Julii 1612. decrevit) sed potius deficiente Sacristia in mensa separata collocentur. Quod si autem in casu necessitatis in Altari ponendæ sint,

nun-

nunquam in medio illius, sed in cornu Evangelii ponantur. Gavantus p. 2. tit. 1. n. 2. 2. *Praxis*, ut scilicet, dum Amictum accipit, & in medio, ubi Crux est, osculatur, non cum eo Crucem faciat, sed id, si velit, ante receptionem præstet. Multo minus vero genuflectat, ut aliquid solent, nisi forte utroque genu flexus Orationem præmittere velit: Ut, dum Albam accipit, caput junctis manibus submittat: quod idem quoad manuum junctionem etiam in Planeta accipienda faciendum: Ut, dum Manipulum brachio adaptat, eum osculetur,& interea se vertat,ut Minister Albam facilius adaptare queat: ipsum vero Manipulum, si chordulas habeat, non supra cubitum, nec longius a manu ligandum putat Gavantus, *p.* 2. *tit.* 1. *lit. L.* sed quia Manipuli plerumque non sunt ita parati, ut infra cubitum firmari possint: & præterea, si tali modo induantur, Celebrantem in actionibus suis circa Calicem tangendum versantibus impediunt, ideo poterit Sacerdos in tali casu communem praxin retinere, eosque brachio supra cubitum applicat. Ut Stolam ita collo accommodet, ut ex humeris extremæ partes post decussationem ante pectus (ita ut sinistra pars dextræ subjaceat) æqualiter dependeant,& Crux in stolæ medio signata,colli quoq;medium occupet: Ut Planetam bene attrahat, ne indecore a tergo pendeat, & Albam videndam obiiciat: quem ob finem ab accuratioribus Sacristis vincula linea vel serica, quibus Corpori Planeta firmiter adstringatur, eidem inseri solent. Ita Gavant. Arnaud. Bauldr. 3. *Preces*, dum vestes assumit, juxta Missalis præscriptum recitandæ; ad quas etsi Azor & alii sub mortali, P. Gobat. n. 387. & Scortia sub veniali. Tamburinus l. 1. c. 7. §. 1. & Fagundez sub nullo peccato (modo alias preces substituat) Celebrantem obligari doceant, semper tamen suadendum est, ut eas Celebraturus Sacerdos non facile omittat, cum pulchros, atque ad Sacrificium dignius offerendum perquam idoneos affectus contineant. Caveat tamen, ut easdem clariore, & ab aliis intelligibili voce cum audientium offensione dicat.

TL

TITULUS II.

De Ritu seu Devotione per totam Missam observando.

PEr Ritum hunc generalem intellige varias praxes, quas passim Ascetæ suggerunt, ad solidæ devotionis sensum, dum Sacrificium hoc offertur, excitandum, ex quibus quivis eam eligere poterit, quam Genio suo ad dictum finem obtinendum aptissimam experientia Magistra probaverit; mihi quidem ea præ reliquis eligenda est visa, quæ affectibus, quos ipsæ Orationes in Missali præscriptæ suggerunt, excitandis affectuose insistit; de reliquo vero sicut Celebrans Christum in ipso Sacrificio offerendo repræsentat, ita optime quoque facturum credo, si in modo quoque offerendi illum imitari conetur. Itaque

I. Sicut ille prius valedixit S. Matri suæ, & aliis Amicis, ita & Sacerdos ante quam ad Altare accedat, valedicat omnibus negotiis & Amicis suis, omnem de iis cogitationem & sollicitudinem præterquam sub *Memento* deponens.

II. Sicut Christus prius judicatus & accusatus est, ita & Celebrans seipsum tum per Confessionem suo tempore præmissam, tum per eam, quæ in ingressu post Psalmum *Judica* peragitur, coram Deo accuset, illius judicio submittat.

III. Sicut Christus tribus clavis Cruci affixus fuit, ita Celebrans Altari per tres potentias, memoriam videlicet, intellectum & voluntatem ita se affigere studeat, ut nulla alia in re, quam in iis, quæ ad Sacrificum hoc rite offerendum pertinent, occupetur.

IV. Sicut Christus in Cruce memor fuit quadruplicis generis Personarum, scilicet Inimicorum, Peccatorum in Latrone, Amicorum in sua Matre, & S. Joanne, & suiipsius, ac pro his omnibus non solum oravit, sed incredibili zelo (quem verbo *Sitio* indicavit) salutem eorum Patri æterno commendavit, ita Celebrans quoque cogitet hunc zelum sibi imitandum, & pro dictis personis sub *Memento* ardenter & affectuose orandum esse.

V. Sicut Christus irrisiones astantium & transeuntium

non curavit, neque propter eos de Cruce, ut ipsi irrisorie petebant, descendit; ita & Celebrans, licet ii, qui Missam audiunt, moræ impatientes, querantur, optentque ipsum ab Altari recedere, Missam abbreviare, &, nisi faciat, calumnientur, & irascantur, constanter in Altari perseveret, & agat, quod agit, salva tamen semper discretione & publica ædificatione.

VI. Sicut Christus omnia, quæ de Sacrificio suo in Cruce offerendo in Scriptura Sacra prædicta erant, plenissime consummavit: ita & Celebrans omnes Rubricas & Cæremonias, quæ pro Sacrificio Missæ præscribuntur, exacte observare studeat, ut & ipse finito sacro dicere possit: *Consummatum est*.

VII. Sicut Christus post Spiritum suum in manus Patris commendatum in Limbum & Purgatorium descendit, & ex utroque Animas ibi detentas liberavit, ita Sacerdos quoque post Consecrationem sub *Memento* pro defunctis ad Animas purgantes mente descendat, & quotquot potest, per applicationem Sacrificii inde extrahere studeat.

Atque hic modus vel ex eo capite videtur solidior, & præferendus, quod nec multa reflexione indigeat, nec aliam fere industriam, quam quæ ab ipsa Sacrificii excellentia jure exigitur, requirat, aliunde vero propter conformitatem cum modo a Christo in Cruce adhibito, merito & ipsi, & Patri æterno gratior futurus credatur.

TITULUS III.

De Egressu ex Sacristia.

Ritus communis.

I. UBi omnibus Paramentis indutus fuerit, Birretum accipit, eoque caput tegit; tum arripit manu sinistra Calicem (quem, si remotus satis fuerit, ante, quam Planetam accipiat, ex loco suo auferat, & propius ante se in loco Paramentorum ponat, ne, si post Planetam acceptam id faciat, eandem affricando corrumpat) & Bursam manu dextra tenens ante pectus elevatum portat. Rubric.

II.

II. Ante, quam a loco Paramentorum discedat, facit Cruci vel imagini reverentiam, capite cooperto & quidem *profundam*, ut recte Gavant. p. 2. tit. 2. lit. A. & Bauldrius p. 3. c. 5. n. 5. advertunt.

III. Sequitur Ministrum præeuntem oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore, capite cooperto.

Ritus Solemnis.

I. Antequam exeat e Sacristia cum Ministris, imponit capite aperto incensum in thuribulum, ministrante Diacono naviculam, & Thuriferario thuribulum, dicitque solitam benedictionem. Arnaudus tr. 1. p. 2. tit. 2. n. 13.

II. Tum descendit de gradu, & capite detecto (quia tunc Calicem non portat) Cruci profundam reverentiam facit, deinde se vertens cooperto capite Ministris transeuntibus & reverentiam illi facientibus pro gradu respondet. Bauldr. l. c. & Ritus Rom.

TITULUS IV.

De Transitu coram Altaribus.

Ritus communis.

I. Ante triplici generis Altaria transire potest Celebrans. 1. Ante Altare maius, & tunc genu flectere debet, si Venerabile Sacramentum ibidem asservetur, vel certe, si non asservetur, profundam reverentiam facere, & quidem cooperto capite, ut vult Rubrica tit. 2. n. 1. Sed quia in aliquibus locis consuetudo introducta est, ut ob majorem Populi ædificationem talis reverentia (utraque scilicet præcedens) fiat detecto capite: recte faciet Celebrans, si eidem se in tali casu accommodet; maxime si Venerabile Sacramentum publice in Altari sit expositum: tunc enim semper caput detegendum esse, recte monet Arnaudus tr. 1. p. 2. tit. 2. Monent tamen Gavantus, Arnaudus, & Bauldrius, ne idcirco longius procedat nudo capite, ut aliqui titulo reverentiæ faciunt, sed minus caute ob Calicem, quem manu gestant.

stant. Si tamen & hæc consuetudo alicubi vigeat, (uti Romæ vigere audio) ut scilicet, quamdiu per Chorum, ubi Venerabile Sacramentum asservatur, vel expositum est, incedit, caput detectum retineat; poterit & ipse eandem sequi.

II. Transire potest ante Altare laterale, in quo SS. Sacramentum vel actu consecratur & elevatur, vel certe adhuc in Altari consecratum manet, & tum si elevatur, utrumque genu flectendum; post elevationem vero unum inclinandum, semperque caput detegendum est. Rubr.

III. Ante Altare, in quo Reliquiæ insignes alicujus Sancti, de quo ibidem fit Festum, stant expositæ, transire potest, & tunc apertum caput eidem profunde inclinare decet. In aliis vero Reliquiarum casibus habeatur ratio Altaris tantam, puta si Sacramentum ibi reperiatur, alioqui enim nulla ante alia Altaria reverentia facienda est, cum Rubricæ solius summi Altaris meminerint. Gavant. p. 2. tit. 2.

IV. Si coram alio Sacerdote ad Sacristiam redeunte transeat, nullam ei faciat reverentiam, nec caput aperiat. Si ante Magnatem vel Principem, solum capite aliquantulum inclinato iisdem reverentiam faciendam esse Bauld. n. 3. ex Gavanto tradit, sed rectius se locorum consuetudini quoad hoc & alia similia puncta accommodat.

Ritus Solemnis.

I. In solemni Officio cum Calice non portet Celebrans, semper caput aperire debet, si forte in Altari aliquo inferiore celebraturus ante Altare majus transeat.

II. Si transit per medium Chori, ubi est Clerus, Bauldr. p. 3. c. 13. n. 5. cum Gavanto putat, ipsum inclinato, sed tecto capite esse salutandum, cum idem Episcopus in Cæremoniali Episcoporum facere jubeatur.

TITULUS V.

De Accessu ad Altare.

Ritus Communis.

I. CUm pervenerit ad Altare stans in plano ante infimum gradum, caput detegit, Birretum Ministro porrigit,

git, & Altari profunde se inclinat, aut omnino genuflectit, si in eo sit SS. Sacramentum. Rubric.

II. Dum Corporale extendit, ita id facit, ut Ora ejusdem Oram Altaris tangat, ut manus post Consecrationem intra Corporale commodius contineantur. Gav. hic lit. I.

III. Collocat Calicem super Altare, & velo ita tegit, ut in anteriori parte totus lateat. Gav. lit. I.

IV. Ante, quam ad librum aperiendum accedat, facit Cruci profundam reverentiam juxta Gav. Castaldum, & Bauldrium p. 6. 3. c. 5. n. 6. ubi universaliter ait, profundam ei reverentiam faciendam, quoties accedit, vel recedit a medio Altaris, etiamsi id specialiter non annotetur in Rubricis: videturque id probari posse ex alia Rubrica; quæ jubet in tali casu Venerabili exposito genuflexionem fieri, ergo Cruci expositæ saltem profunda inclinatio fieri debet.

V. Redit ad medium Altaris, iterumque Cruci profundam reverentiam faciens, descendit ad infimum gradum, vertens se ad Cornu Epistolæ. Rubr.

Ritus Solemnis.

In Missa Solemni, ubi ad gradum Altaris venerit, ac reverentiam convenientem fecerit, non ascendit Altare, sed in plano consistit, donec a Cæremoniario moneatur de principio Missæ faciendo.

De Aspersione Aquæ Benedictæ.

Ritus Solemnis.

I. DE hac tria potissimum scienda sunt, nimirum *quando*, *a quo*, *&* *quomodo* facienda sit.

II. Ad primam ergo quæstionem quod attinet, debet hæc aspersio fieri omnibus diebus Dominicis, etiam Paschatis & Pentecostes (nisi Episcopus solemniter celebret, tunc enim omitti debet, ut in Cæremoniali Episcoporum l. 2.c.31. præscribitur) & quidem ante omnes alias benedictiones v. g. Cereorum, Palmarum &c. Arnaud. p. 4. tit. 19.

III. Circa secundam quæstionem, a quo facienda sit, decrevit

vit S. Rituum Congregatio Anno 1630. semper hanc aspersionem ab ipso Celebrante etiamsi primæ dignitatis sit, faciendam esse. Unde si forte Neomysta quispiam tali die primam DEO hostiam offerret, prius Antiphonam cum Oratione de S. Spiritu canere, & post illas, dictam aspersionem facere deberet, nisi alia forte alicubi consuetudo sit recepta.

IV. *Modus* in sequentibus consistit. 1. Accipit a Diacono vel si hoc non adest, a Cæremoniario Aspersorium, genuflectit, & *Asperges* vel *Vidi aquam* genuflexus, etiam tempore Paschali, canit. 2. Aspergit gradum Altaris in medio, in latere Evangelii, & Epistolæ, tum seipsum adhuc flectens. 3. Surgit, ac primo Diaconum ac Subdiaconum flectentes, ac postea alios Ministros pariter flectentes aspergit, & tandem facta reverentia ad aspergendum populum procedit, incipiendo ab iis, qui a Cornu Epistolæ sunt: 4. Comitantur ipsum Ministri, cum quibus submissa voce Psalmum *Miserere* recitat, uti Rubrica in fine Missalis de hac benedictione loquens indicat, & Gavantus p. 4. tit. 19. lit. L. ubi addit, Diaconum a dextris fimbriam Pluvialis attollere debere. Quando autem in Cæremoniali Episcoporum jubetur, ut Diaconus & Subdiaconus in suo loco stantes Celebrantem operiantur, id putat Gavantus tantum fieri ob reverentiam Episcopi præsentis, ut coram eo minori Pompa Celebrans procedat. Verum ego judico id potius fieri, quia tunc ob dictam reverentiam Episcopi, ne solus in sua Sede relinquatur, omittitur tota Processio, quæ cum Ministris & Cantoribus sub aspersione Aquæ benedictæ institui plerumque solet in Ecclesiis, solusque Celebrans cum Cæremoniario Pluviale a dextris elevante, & alio Ministro a sinistris vasculum Aquæ benedictæ portante aspersionem peragit. Unde si alicubi consuetudo habet, ut nunquam similis Processio cum Ministris instituatur, nec Diaconus & Subdiaconus comitari eum debent, sed soli duo Ministri, de quibus paulo ante dictum.

V. Cum ad Altare redierit, facta reverentia stans in plano, junctis manibus dicit Versum *Ostende*, addens Alleluja tempore Paschali, non autem ad *Domine exaudi*. Subjungit *Dominus vobiscum* & Orationem, & post eam Manipulum & Planetam assumit. 6. Si adsit Episcopus, post Altare tertia

vice

vice aspersum, ad locum Episcopi accedit, eique aspersorium osculo prius honoratum porrigit, & postquam Episcopus seipsum primo, postea Celebrantem asperserit, ab eo aspersorium recipit, manumque illius primo, deinde aspersorium osculatur. Tum rediens ad Diaconum & Subdiaconum, eos & alios Ministros, ut dictum, aspergit. Quod si Episcopus innuat, ut Celebrans ipsum aspergat, ante & post profundam ei reverentiam faciet. 7. Si prostet Venerabile Sacramentum, nullo modo Altare est aspergendum, neque Diaconus osculari debet manum Celebrantis, aut Aspersorium, Gav. p. 4. tit. 19. n. 13.

TITULUS VII.

De Principio Missæ.

Ritus Communis.

I. CUm descenderit ad infimum gradum, facta profunda Cruci reverentia, aut genuflexione, si adsit SS. Sacramentum, erectus incipit Missam. Aliqui præter genuflexionem etiam Cruci se inclinant, sed sufficit genuflexio, teste Bauldrio p. 3. tit. 3. n. 1. ubi etiam bene addit, genuflexionem fieri non debere, si Sacramentum in Cornu Evangelii extra Altare asservetur.

II. Psalmus *Judica* semper dicitur, præterquam in Missa pro Defunctis, & a Dominica Passionis usque ad Pascha. Si tamen extra hoc tempus votiva de Passione, vel Cruce, aut infra idem tempus prædictæ votivæ & aliæ quævis, aut Missa de Festo dicatur, omitti non debet. Gav. *p. 2. tit. 3. n. 6.* & Gerlacus Vinitor. *p. 1. tit. 9.* §. 8.

III. Cum dicit *Gloria Patri*, caput, non corpus Cruci inclinat. Ad versum *Adjutorium*, se Cruce signat. Rubr.

IV. Dum dicit Confessionem, profunde se inclinat. Non autem addat nomen Patroni aut alterius Sancti sine Papæ licentia, quia id Pius V. prohibuit teste Bauldrio p. 3. tit. 3. nisi consuetudo Diœcesis aut Ordinis id exigat. Non etiam se convertat ad Ministrum, si illa Verba: *Vobis fratres*: pronuntiat.

V.

V. Ad *DEUS tu conversus*, humerorum inclinationem facit, manetque sic inclinatus etiam, dum *Oremus* dicit. Quo dicto ad Altare ascendit, non tamen prius genuflectit (ut aliqui perperam faciunt) etiamsi Venerabile Sacramentum in Altari sit clausum, vel publice in eo expositum: cum Rubrica non præcipiat ejusmodi reverentiam: & præterea eamdem mox facturus sit, ubi ad ipsum Altare venerit. Neque obstat, quod, quando ab Altari ad principium Missæ faciendum, descendit, bis reverentiam facere jubeatur, semel scilicet, quando ab Altari recedit; & iterum quando in plano consistens ad Altare se vertit, nam cum in nostro casu conversio ad Altare nova non fiat, merito reverentia quoque nova exigi non debet.

VI. Quando post Ascensum ad Altare Orationem *Oramus te Domine* dicit, ad verba illa: *Quorum Reliquiæ hic sunt*: Altare in medio, non ad latus osculatur. Si autem nullæ Reliquiæ adessent (quo in casu prædicta verba omittenda sunt secundum Gerlacum p. 2. tit. 3. §. ex Gavanto) tunc ad verba: *ut indulgere digneris*: osculum illud figendum foret, non tamen prius signum Crucis pollice super Altare formandum, Gavant. p. 2. tit. 4.

Ritus Solemnis.

I. Quando Sacerdos coram Episcopo celebrat, stans ex Cornu Evangelii (nisi alia sit consuetudo) exspectat, donec signum ab Episcopo detur, & tunc profunde se illi inclinans, Missam incipit. Arnaud. p. 2. tit. 3. n. 2.

II. Cum dicit: *Vobis Fratres*: paululum versus Diaconum & Subdiaconum se convertit. Quod si vero Episcopus loci adsit, ad illum se vertit, & loco: *Vobis Fratres*: dicit; *Tibi Pater* (non addendo titulum *Reverendissime*: cum neque Rubricæ, neque Cæremoniale hunc titulum præscribant) & postea iterum: *Te Pater*, atque profundam illi in utroque casu reverentiam facit.

III. Postquam Celebrans dixit *Misereatur*, aliqui iterum ad Episcopum facta conversione & reverentia absolutionem petendam & accipiendam esse volunt; sed neque Cæremoniale Episcoporum, nec Rubricæ Missalis in hoc

casu id exigunt; quare poterit se quisque consuetudini loci accommodare.

TITULUS VIII.

De Incensatione.

Ritus Solemnis.

I. QUÆSTIO I. *Quid in Incensatione præcipue observandum sit?* Resp. Sex potissimum. 1. Impositio thuris. 2. Ipsa Thurificatio. 3. Ordo in thurificando observandus. 4. Numerus ductuum, qui respectu diversarum Personarum, aut rerum diversus etiam adhibendus est. 5. Persona thurificans. 6. Tempus thurificationis.

II. Q. 2. *Quid circa impositionem Thuris sit notandum?* R. Tria præcipue. 1. *Situs imponentis*, qui semper stare debet, etiamsi coram Venerabili Sacramento exposito thus imponendum sit. 2. *Modus imponendi*, qui in eo consistit, ut, cum facienda est incensatio Celebrans accipiat cochlear a Diacono, & manu sinistra pectori admota, ter ex navicula sumptum thus imponat in thuribulum, atque ad primam impositionem dicat: *Ab illo benedicaris*; ad secundam, *in cujus honorem*; ad tertiam, *cremaberis*. *Amen*. & tunc primum post restitutum cochlear Diacono signum Crucis super thuribulum adhuc apertum ducat. Hanc tamen benedictionem omittit: si *Solum* Venerabile incensare debeat, quia tunc adest ipse Author benedictionis. Si autem cum Venerabili etiam Altare incensandum sit, tum thus semper benedicitur, excepta Feria sexta Parasceves, ubi non benedicitur, licet Altare incensetur. Bauldrius p. 2. c. 4. n. 3. cum Gav. & aliis. Si Episcopus sit præsens, & in solio suo ex parte Evangelii sedeat, Diaconus post Ascensum Celebrantis ad Altare, cum Ceremoniario & Thuriferario ad Episcopum accedit, & profundam inclinationem faciens, sociis duobus genuflectentibus, stans eidem cum solitis osculis thus imponendum & benedicendum in thuribulo offert, ac cochlear ei offerendo dicit; *Benedicite, Reverendissime Pater*: iterumque reddens na-

naviculam Thuriferario, facta Episcopo reverentia ad Sacerdotem celebrantem accedat. Circa hunc Modum benedicendi thus paulo aliter discurrit Nicolaus Bralion Presbyter Congregationis Oratorii in Cærem. Canon. c. 1. n. 14. putat namque verba ista : *ab illo benedicaris* : proferenda esse non quando prima vice thus imponit, sed postquam ter imposito thure, & deposito cochleari Crucem facit, eo quod etiam in aliarum rerum benedictionibus verbum *benedicere* tunc proferri soleat, quando Crux formatur, & ideo etiam hic in Ordine Missæ, ubi tota hæc formula proponitur, notula Crucis inter ipsasmet hujus Verbi Syllabas inferatur hoc modo : *Ab illo bene✠dicaris, in cujus honorem cremaberis*. Qui discursus cum valde rationabilis, & Rubricis conformior videatur, omnino retineri potest hic modus, nisi prior alicubi per consuetudinem sit introductus. Illud tamen adhuc circa hanc benedictionem quæri potest, an, si præter Altare summum, adhuc aliud Altare incensandum erit, thus iterum benedici debeat ? ad quam quæstionem Bralion affirmative respondet, eo quod non illud thus, quod in navicula est, sed quod in thuribulo positum est, fuerit benedictum. 3. *Locus*, in quo stare debet thus imponens; qui quidem, si Sacramentum non sit expositum, ordinarie est medium Altaris; quando vero expositum est Sacramentum, non omnes æqualiter locum assignat ; nam aliqui in tali casu &c. 3. *Locus*, in quo stare debet thus imponens ; circa quem non omnes conveniunt, saltem quando Venerabile Sacramentum publice expositum est : nam aliqui in tali casu putant, eum per cornu Epistolæ in planum descendere, & facie ad populum conversa incensum imponere debere, idque ob reverentiam Sacramenti ; ob quam eamdem causam etiam, quando incensatur Celebrans, dicto modo in planum descendere debet, ut infra ex Gavanto & aliis dicemus. Alii etiam in tali casu more solito apud Altare faciendam ejusmodi impositionem censent, eo quod & cæremoniale Episcoporum & Gavantus, aliique Rubricistæ *de more* imponendum thus dicant. Unde optime faciet, qui Ecclesiæ, in qua versatur, consuetudinem fuerit imitatus.

III. Q. 3. *Quis modus in ipsa Thurificatione sit obser-*

vandus? ℟. Sicut duplex est thurificatio, altera Altaris solius, altera Venerabilis Sacramenti, ita diversos quoque ritus in iisdem observandos esse. Thurificatio ergo Altaris solius sic peragenda. Dum Diaconus thuribulum offert, accipit Celebrans dextra catenulas simul junctas prope operculum, ut decentius & commodius illud ducere possit; sinistra vero catenularum summitatem prope manubrium, quam in ipsa incensatione pectori admovet. Tum ad Altare conversus, facta Cruci profunda reverentia, ter eam incensat, & tacta iterum reverentia incensat a cornu Evangelii Reliquias, si adsint, bino ductu simplici, non duplicato, ut multi faciunt, & mox iterum faciens reverentiam Cruci simili modo Reliquias ex Epistolæ cornu. Simili modo; ubi tamen Nicolaus Bralion n. 50. notat, si in medio Altaris alicujus exposita fuerit insignis Reliquia v. g. caput aut brachium alicujus Sancti, convenire, ut immediate post Crucem duplici ductu incensetur, tamen absque ulla reverentia ob præsentiam Crucis; deinde vero primum aliæ reliquiæ. Quibus peractis, facta iterum Cruci reverentia, Altare, prout distribuuntur, Candelabra ter incensat usque ad cornu Epistolæ, ubi demissa manu thurificat illius partem postremam inferiorem, mox superiorem, bis ducto thuribulo: & conversus ad Altare, elevans manum, incensat ejus planitiem seu mensam in anteriori parte, ter ducens thuribulum linea transversali quasi per semicirculos usque ad medium: ubi facta Cruci reverentia, thurificat aliud latus Altaris eodem modo, quo prius, nisi quod incensando Altare per semicirculos non procedat ad medium, sed in cornu Evangelii consistens, peracta Altaris incensatione, ejus frontem anteriorem triplici ductu ad medium usque incensat, ubi facta iterum Cruci reverentia reliquam partem frontis triplici ductu incensat usque ad cornu Epistolæ, ibique consistens se a Diacono incensari permittit. Notandum vero, quod etiamsi pauciora forent aut plura, quam tria candelabra, adhuc tamen triplici ductu altare incensandum foret. Atque hic est communis modus incensandi; circa quem tamen iterum scrupulum movet Nicolaus Bralion in cit. Cærem. Canon. n. 19. ubi putat incensationem reliquia-

rum,

tum, qua ex parte Epistolæ reperiuntur, non a Sacerdote in medio Altaris stante, sed aliquantum a medio Altaris se retrahente faciendum esse, uti de facto in Basilica S. Petri in Urbe practicari ait, imo & in ipsis Rubricis indicari contendit, dum post incensationem Reliquiarum a dextris factam Cruci reverentiam facere jubetur Sacerdos, quod minime fieri deberet, nisi a Cruce discedere deberet. Sed responderi potest, hanc reverentiam præcipi, eo quod stans in medio sub incensatione Reliquiarum a dextris stantium nonnihil ad latus se converterit, atque ad alterum latus se convertendo, ipsam Crucem quodammodo transire debeat; & hinc in Rubricis dicitur: *antequam discedat, a medio Altaris, primum incensat eas, quæ a dextris sunt &c. Et iterum facta Cruci reverentia* similiter *incensat bis alias, quæ sunt a sinistris*. Quod ipsum clarius cæremoniale Episcoporum indicat, dum ait post incensationem reliquiarum sinistræ partis *procedendum* esse ab ea parte ad Altare ter incensandum.

Thurificatio Venerabilis Sacramenti sequenti modo facienda est. Si Sacramentum super Altari expositum sit, tum stans,& paululum recedens ad cornu Evangelii: facie tamen versa ad cornu Epistolę ponit incensum in thuribulo cum solita benedictione (quia etiam Altare incensat) & mox genuflexus in supremo gradu, accepto thuribulo a Ministris sibi porrecto, factaque prius profunda reverentia triplici ductu SS. Sacramentum graviter & morose incensat,& postea facta iterum profunda inclinatione surgit, & facta genuflexione reliquas incensationes peragit, ita tamen, ut, ubi Cruci profundam alioqui reverentiam fecisset, tunc genuflexionem faciat, & quando Diacono thuribulum reddit, descendat in planum Capellæ, & facie versa ad Populum ab eodem Diacono se incensari permittat, advertens tamen,ne dum se vertit, tergum Sacramento obvertat. Si Ven. Sacramentum in Altari clausum asservatur, tum ante, quam incipiat incensationem, genuflexionem facit (& in hoc casu non inclinat caput Cruci) quam etiam facit, quando transit ante medium Altaris. Ita Gavant. p. 2. tit. 4. lit. G. Arnaudus eod. tit. num. 8. Contra quos tamen iterum pugnat cit. Bralion. p. 22. putans, licet in tali casu genuflexio Sacramento sit

facta, nihilominus adhuc ipsi etiam Cruci suam reverentiam esse faciendam, eo quod altera reverentia genuflexionis ad Sacramentum pertineat; ac proin ipsi etiam Cruci sua specialis reverentia exhibenda videatur. Sed responderi potest, sicut in aliis casibus, quando alias jam major inclinatio corporis præscripta est, non debet minor aliqua & Specialis inclinatio, v. g. capitis fieri, eo quod minor reverentia in majore contineatur, ita idipsum etiam in præsenti casu dicendum esse. Denique & id, quod Cæremoniale Episcoporum circa modum utriusque hujus Incensationis *l. 1. c. 21.* monet, bene observandum est, ut scilicet, dum thurificationem Altaris actu peragit Celebrans aut alius, se in ea graviter & decore gerat, non Personam aut caput, dum thuribulum ducit, reducitque, movens, sinistram, quæ summitatem Catenularum retinet, firmam, stabilemque retinens, dextram vero manum ac brachium commode ac tractim cum thuribulo movens, ita, cum thuribulum ad se retrahit, illud sub brachio leviter & competenti modo reducat, & dum procedit thurificando Altare eundo, & redeundo, semper illum pedem prius moveat, qui proximior est Altari, totque omnino passus faciat, quot thuribuli tractus, ut manus, pedesque in motu decenter concordent. Sed & illud adhuc circa hanc Thurificationem notandum est, si, dum incensatio peragitur, interim *Gloria Patri* cantetur, interrumpendam eam esse, ut debita inclinatio versus Crucem fiat; nec enim omittendus est major ritus, ut attendatur minori & simplici cæremoniæ, ait Bralion n. 35. ad *Dominus vobiscum* vero omnino cessandum est ab incensatione.

IV. Q. 4. *Quis Ordo in thurificatione observandus sit?* ℞. Sequentem præscribi a Cæremoniali Episcoporum: Primo & ante omnes thurificandus est ipse Celebrans; post eum vero Archiepiscopus aut Episcopus Provinciæ, si adsit. Post hunc immediate Presbyter Assistens, & duo Diaconi Assistentes nisi adsint Personæ majores Episcopo, aut Episcopo non fiat Assistentia; in hoc enim casu Assistens quidem in pluviali, ut qui dignior ex Clero est, & omnes alios Ministros Celebranti intervenientes præcedere debet (ut Bartholomæus Consettus p. 1. c. 5. n. 9. sibi Venetiis a Viris fide dignis & sapien-

pientibus responsum fuisse testatur contra Piscatam volentem, etiam Assistentem post Chorum esse thurificandum; cujus sententia tunc forte facilius practicari posset, quando Assistens est de communibus Sacerdotibus, ut in Primitiis Neomystarum contingit; Chorus vero ex Canonicis aut aliis Personis Assistente longe dignioribus constat) Diaconus vero & Subdiaconus post Chorum, ut suo loco in officio Diaconi & Subdiaconi videbimus. Post Assistentem Princeps Magnus, si quidem non recognoscens Superiorem (nec tamen Imperatoris aut Regis dignitate præfulgens; hi enim ante Episcopum incensandi sunt, id est, statim post Celebrantem) aut Prorex vel Gubernator Provinciæ aut Regni adsit; tum Dignitates, Canonici, Magistratus Civitatis (nisi sint de Majoribus & Perpetuis, tunc enim ante Canonicos, si quidem hi parati non sint, incensandi forent) & post hos Barones & Domicelli sine titulo incensantur. Quæri tamen hic potest, an etiam Mulier aliqua præcipuæ dignitatis, v. g. Regina, vel magna Princeps incensari separatim debeat? & respondetur ex Cæremoniali l. 1. c. 23. affirmative, uti & ipsa praxis confirmat. Denique Chorus, & post Chorum incensatum Diaconus & Subdiaconus (nisi Diaconus, ut in Missa fieri debet, ipse incenset, tunc enim ipse prius Subdiaconum incensat, & postea primum a Thuriferario Diaconus, reddito a se eidem thuribulo, incensatur) ac reliqui Clerici Celebranti inservientes secundum Ordinem dignitatis, ac tandem ipse etiam Populus incensatur.

V. Q. 5. *Quis in ductibus Thurificationis Numerus sit observandus?* R. Eum qui in Cæremoniali Episcoporum hisce Verbis præscribitur: *Sanctissimum Sacramentum, Crux Altaris, Episcopus vel Archiepiscopus thurificatur triplici ductu: Celebrans, Dignitates, & Canonici duplici, inferiores uno. Si adesset Legatus, vel alii Cardinales, ipsi ter, Episcopus & Celebrans bis, Dignitates & Canonici semel, cæteri sine mora. Si vero adsit Dominus loci Laicus, vel alius Princeps Maximus* (aut Superior supremus in dignitate constitutus) *ter, ut Episcopus, reliqui, ut supra dictum, incensantur*, ita Cæremoniale. Ex quo colligitur, si nullus Episcopus aut Princeps Maximus, aut his Superior adsit, Celebrantem ter, Chorum, Diaconum, & Subdiaconum bis, reliquos Clericos ac Popu-

lum uno ductu incensandum esse. Etsi vero Thuriferarius consueto more Populum incensans triplici ductu id faciat, uno scilicet in medio, altero ad dexteram, tertio ad sinistram Populi, hoc tamen non ideo facit, quasi Populum trina incensatione, atque adeo magis, quam alios præcedentes honorare velit, sed quod eumdem quasi in tres partes ob multitudinem dividat, & quamlibet earum uno ductu thurificet. Pro quorum omnium meliori intellectu & praxi notandum obiter est, ea, quæ hactenus de numero ductuum diximus, de simplici ductu seu vibratione thuribuli intelligi debere, & non, ut multi hodie faciunt, bina, eaque æquali vibratione in altum intelligenda esse: sic enim, qui ter incensari debet, sex ductibus utpote tribus duplicatis incensaretur. Potest tamen hæc consuetudo forte tolerari, si prior vibratio non fiat in æqualem altitudinem cum altera, sed infra quasi per modum semicirculi peracta tanquam liberatio ad posteriorem adhibeatur.

VI. Q. 6. *Quis thurificationem peragere debeat?* ℞. In Missa omnes thurificationes usque ad Subdiaconum inclusive a Diacono, reliquas vero a Thuriferario peragendas esse, uti clare in Missali §. 8. *de Ritu Missæ* indicatur. In Vesperis autem Celebrans & Episcopus, si intersit, aut alius, quos supra triplici ductu incensandos esse diximus, a primo Assistente, reliqui vero ab aliquo Acolytho (quem Thuriferarium esse convenit) juxta cæremoniale Episcoporum *cit. c.*20. *p.*1. incensandi sunt. Si tamen in aliquibus locis consuetudo introducta sit, ut etiam in Vesperis primus Assistens Chorum incenset, poterit ea illo in loco retineri.

VII. Q. 7. *Quando incensatio peragi debeat?* Resp. in Missis solemnibus ter ministrari incensum, videlicet in principio Missæ ante introitum (quæ tamen incensatio omittitur, si Missa sine Diacono & Subdiacono celebretur) ante Evangelium, & post Offertorium; in Laudibus vero & Vesperis semel duntaxat; scilicet, sub Canticis *Benedictus & Magnificat*, fit incensatio.

VIII. Etsi vero hæc incensatio, si, quæ hactenus dicta sunt, bene considerentur, nullam videatur difficultatem continere, quia tamen Tirones plerumque similes cæremonias facilius capiunt, si picto quodam vel sensibili sche-

schemate ipsorum phantasia juvetur, poterit illis hunc in finem sequens schema prodesse, utpote in quo ordo ductuum in incensatione faciendorum per numeros indicatur.

TITULUS IX.

De Introitu.

Ritus Communis.

I. Dicitur semper Introitus, præterquam in Sabbato sancto.

II. Ad initium signum Crucis manu a fronte ad pectus producit Celebrans, & subinde junctis manibus Introitum prosequitur. In Missa tamen pro defunctis non se, sed librum Cruce per manum in aere formata signat.

III. *Gloria Patri*, ad quod caput versus Crucem inclinat, semper dicitur, exceptis Missis pro Defunctis (ubi *Requiem* illius loco dicitur) & a Dominica Passionis usque ad Pascha, si de Dominica aut Feria dicatur Missa. In Missis enim de Festis (& votivis de Passione & Cruce, sive extra, sive intra tempus Passionis lectis) non omittitur. Arnaud. tr. I. p. 4. tit. 17. n. 4.

IV. Tempore Paschali ante Versum duplex Alleluja additur.

V. Post dictum Introitum ad medium accedit, & facta Cruci reverentia profunda, novies *Kyrie* & *Christe eleison* alternatim cum Ministro dicit. Caveat tamen, ne non laudabilem quorundam morem secutus in ipso ad medium accessu hæc verba recitet sed exspectet, donec in medio firmus constiterit, ipsique Cruci reverentiam fecerit.

Ritus Solemnis.

I. Ubi dixerit Introitum, non accedit ad medium, sed in eodem loco apud librum consistens dicta *Kyrie eleison* alternatim cum Ministris dicit. Quod etiam tunc observandum

Baul-

Bauldrius p. 3. c. 21. n. 9. & Corsettus c. 13. n. 3. ajunt, quando sine Diacono & Subdiacono Missa cantatur.

II. Dictis *Kyrie*, si tempus & ratio Missæ patiatur (nam exposito Venerabili sedere non convenit, nisi specialis ratio aut consuetudo id exigat) facta Cruci reverentia, breviori via descendit ad sedem, accipit a Diacono Birretum, tegit, & manibus super genua modeste expansis sedet.

TITULUS X.

DE HYMNO ANGELICO.

Ritus Communis.

I. Dicitur hic Hymnus, quoties cumque in Officio (si cum Missa hoc respondeat) dictus est Hymnus Ambrosianus, excipe Missam Feriæ 5. Cœnæ Domini: & Sabbati sancti, ibi enim dicitur, licet in Officio non sit dictus Hymnus Ambrosianus.

II. Dicitur præterea in Missis votivis SS. Angelorum, & B. MARIÆ in Sabbato, omni & Solo (in aliis enim Missis votivis ejusdem extra Sabbatum non dicitur, nisi Templum habeat speciale Privilegium, ut Lauretana ædes) sive de ea dictum sit Officium (uti aliquoties intra annum contingit) sive non. An vero hæc Missa B. MARIÆ in Sabbato votiva dicenda sit, disputant Rubricistæ, quæ tamen lis est de nomine tantum, facileque decidi potest, si Missæ votivæ *propria* appellatio attendatur: cum enim hæc proprie ea dicatur, quæ ad arbitrium Sacerdotis, & non ex præscripto Rubricarum dicitur (uti suo loco videbimus) recte infertur, Missam eam, quæ ex præscripto Rubricæ de B. MARIA in Sabbato dicitur, proprie votivam dici non debere. Neque obstat, quod in Adventu cum Officio non concordet, hoc enim non esse signum Missæ votivæ ex eo patet, quod etiam Missa de Vigilia infra Octavam occurrente non concordet cum Officio, nec tamen propterea votiva dicatur. Quia tamen facile contingere potest, ut aliquis ob gravem causam in Sabbato, in quo Festum novem Lectionum, aut Feria Major, cui cedit B. MARIA in Sabbato, Missam de B. Virgine legere velit, in tali casu, cum non ex præscripto Ecclesiæ, sed pro-

proprio Celebrantis arbitrio Missa talis dicatur, recte votiva dici potest ac debet, atque ideo forte etiam inter votivas numeratur in Rubricis. Dicitur tamen in hoc etiam casu Hymnus Angelicus, eo quod Rubricæ absolute dicant, in Missa de B. MARIA in Sabbato dicendum esse, adeoque hoc privilegium Sabbato perinde, ac nonnunquam certis Ecclesiis concessum videatur. P. Gobat. tr. 3. n. 722.

III. Dicitur etiam de Sancto, qui eo die obiit, aut qui Titulus est Altaris, licet non sit de his Officium dictum. Arnaud. p. 1. tit. 8. & tit. 9. n. 10

IV. Dicitur denique in Missa votiva pro re gravi & publica causa (si in tali Missa paramenta violacea non adhibeantur) qualis est, pro qua Clerus cum Episcopo, ubi hic sedem habet, convenire solet, ut si dicatur Missa pro gravi malo publico avertendo, aut magno bono publico impetrando, aut in solemnem gratiarum actionem pro communi beneficio. Gavant. *p.* 1. *tit.* 8. *litt. B.* P. Gobat. *n.* 708. *& seq.* Et hic infra *tit.* 17. *n.* 5.

V. Dum dicit *Gloria in excelsis*, non elevat oculos, sed manus tantum usque ad humeros, quando dicit DEO, iterum jungit, & caput inclinat Cruci, quam inclinationem etiam ad verba: *Adoramus*, *Gratias agimus*, *Suscipe deprecationem*, *& ad SS. Nomen JESU* facit. Cum vero dicit *cum S. Spiritu*, manu signum Crucis super seipsum format, & dum *Amen* dicit, manus iterum jungit, uti Gavantus & Bauldrius monent, licet de hac junctione manuum Rubrica nihil dicat: unde ab aliquibus sine scrupulo omittitur.

Ritus Solemnis.

I. Ubi Celebrans Hymnum Angelicum absolverit, Cruci reverentiam facit, & per breviorem viam ex latere Epistolæ ad paratam Sedem descendit. Quodsi vero Sacramentum in Altari sit clausum, tum omnino prius genuflectit, cum hic penitus ab Altari discedat, quo in casu genuflexionem facere oportet, ut colligitur ex ipsis Rubricis.

II. Si sub isto Hymno sedet, diligenter attendat, ut, si ad supradicta verba Cæremoniarius signum dederit, caput aperiat, & versus Crucem profunde inclinet. Quod tamen dum

dum facit, caveat, ne oram circularem Birreti ex sudore capitis quandoque sordidam Casulæ imponat, & sic pretiosa Paramenta destruat; sed potius non procul a Casula in aere teneat.

III. Circa finem Hymni dato signo surgit, Birretum Diacono porrigit, & post Ministros per longiorem viam ad Altare procedens, ante medium in plano convenientem reverentiam facit, atque ad Altare ascendit.

IV. Etsi Tamburinus l. 2.c.5. §.6. & Pellizarius a P. Gobat n 392. citati putent, non esse necessarium, ut Hymnus Angelicus, qui a Choro cantatur, etiam ab ipso Celebrante submisse dicatur; contrarium tamen & communis praxis & ratio probat, quia licet Hymnus talis, (idem etiam de Symbolo & Prophetiis in Sabbato sancto sentiendum) canatur ab alijs, canitur tamen a non Ordinatis ad hoc munus, atque adeo, quatenus ab his cantatur, non est pars Sacri, sicut Epistola & Evangelium, quæ a Levitis cantantur.

V. Dubitant nonnulli, an licitum sit eo tempore, quo Hymnus iste aut Symbolum cantatur a Choro, parvas Horas aut alias Preces recitare; ad quod quidem dubium Tamburinus l. 2. c. 5. §. 3. n. 2. respondet; id sine peccato veniali fieri non posse; sed tamen id licitum esse, æque probabiliter Tannerus q. 10. n. 15. apud & cum P. Gobat. l. c. docet, cum nulla lex id vetet, & constet passim viros Religiosos ante sumptionem Hostiæ vota sua renovare, aut alias similes preces recitare, quod licite fieri suo tempore ostendam.

TITULUS XI.

DE ORATIONIBUS.

Ritus communis.

I. NE forte quis in errorem aut dubium incidat, si apud Authores vel in Rubricis collectæ mentionem fieri advertat, noverit idem per Collectam, quod per orationem indicari, hasque Orationes in Missa dici solitas interdum Collectas vocari, vel quia Sacerdos omnium quasi Preces colligit, vel quia supra collectam plebem fiunt, uti Gavantus ex variis Authoribus ostendit. p. 1. tit. 9.

II. Sem-

II. Semper dicitur una vel plures Orationes, ita tamen, ut Celebrans prius in medio Altare osculatus ad Populum se vertat, ac extensis, ac mox iterum junctis manibus, oculisq; demissis *Dominus vobiscum* dicat, & accedens ad cornu Epistolæ, iterum extensis & junctis manibus, capiteque versus Crucem inclinato (quod semper in simili casu observat) *Oremus* Orationi præmittat.

III. Si plures sint dicendę Orationes, ordinarie prima tantum & ultima per ordinarias clausulas concluduntur, excepta Missa Feriali in Quadragesima, in qua post ordinarias Orationes in fine Missæ dictas adjicitur nova præmissis verbis: *Humiliate capita vestra DEO*, caputque ad dicta verba versus Crucem inclinatur.

IV. Orationes omnes, quæ dici solent, in tres Classes dividi possunt. Prima est earum, quę in Officio ratione Festi aut Feriæ occurrentis sunt dicendæ, & hæ primum locum habent. Secunda Classis est earum, quæ in Rubricis vel Missali secundo & tertio loco assignantur, & hæ tantum Orationibus *specialibus* Officii cedunt. Tertia classis est earum, quæ ad libitum Sacerdotis, vel pro devotione petentium assumuntur, & hæ omnibus aliis cedunt, Arnaud. tr. 1. tit. 7. n. 6.

V. In Festis Duplicibus & diebus Octavis, nisi aliud speciales Commemorationes occurrentium Festorum requirant, dicitur una tantum Oratio. In Missis quoque votivis solemnibus pro re gravi unica dicitur, nulla facta Festi occurrentis commemoratione: unitas enim orationis dicit, & significat solemnitatem. Gavant. p. 1. tit. 9. n. 6. & alii. Missa tamen pro gratiarum actione duas Orationes admittit in Missali præscriptas, quæ quidem in Missa solemni, in qua unica tantum Oratio dici debet, sub una clausula dici debent, uti ex tit. 9. Rubr. n. 14. colligit Gavantus, & alii. An vero etiam in Missa privata pro gratiarum actione eædem Orationes sub una clausula dicendæ sint, non conveniunt Rubricistæ. Gavantus p. 1. tit. 7. lit. N. putat sub diversis clausulis dicendas, eo quod Ritus Orationum plurium sub una prima clausula sit Missarum solemnium proprius; atque adeo id, quod in oppositum ex Missali Romæ anno 1621. edito dicitur, ait, sine facultate Superiorum additum fuisse, uti ipse post diligentem indagationem comperit. Verum hoc

hoc non obstante, Paulus Maria Quarti p. 1. tit. 7. dub. 4. toto, omnino etiam in talibus Missis censet, illas duas Orationes sub una clausula dicendas, idque ob tres rationes. 1. Quia Rubrica Missalis recogniti sine distinctione dicit, primæ Orationi, aliam pro gratiarum actione jungendam esse: neque credibile est, Rubricam talem in recognitione Missalis, quæ jussu Majorum tam accurate facta est, sine eorum præscitu & facultate fuisse insertam. 2. Quia, cum Missa propria gratiarum actionis, Orationem quoque propriam requirat, id est, pro gratiarum actione (semper enim prima Oratio respondet Missæ propriæ) merito utraq; Oratio de Trinitate v.g. & gratiarum actione (tanquam unica Oratio primo loco recitanda) dicitur sub unica conclusione: secus enim prima Oratio gratiarum actionem non continebit. 3. Quia sic distinguitur Missa propria gratiarum actionis ab aliis Missis, quæ etiam pro gratiarum actione de Sanctis in eorum honorem dici solent, quibus addi potest (si non solemniter celebrentur) sub diversa conclusione, loco juxta Rubricas communes debito, Collecta simplex pro gratiarum actione, nempe prima de sancto, secunda de Officio, tertia pro gratiarum actione. Mihi in hac controversia, Gavanti sententia conformior Rubricis videtur, ut quæ cit. tit.9. n.14. habet hæc formalia verba: *In Missis votivis, quando solemniter dicuntur pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa, dicitur tantum una Oratio, sed in Missa pro gratiarum actione additur alia Oratio, ut in proprio loco notatur. In aliis autem* (intellige, quæ non solemniter dicuntur) *dicuntur plures: ut in Festis Simplicibus.* Unde quando Rubrica in loco proprio, scilicet de Missis votivis, sine discrimine dicit, addendam esse in Missa pro gratiarum actione aliam Orationem, explicanda est juxta præcedentem Rubricam, id quod sæpe etiam alias fieri debet, ut scilicet una Rubrica per aliam explicetur, quemadmodum infra tit. 21. & tit. 27. ostendam. Nec obstat, quod Oratio prima Missæ respondere debeat: nam cum in ejusmodi Missa pro gratiarum actione Missa de SS. Trinitate, vel de Spiritu Sancto: vel de B. Virgine legi jubeatur, vere dici potest primam Orationem Missæ respondere, cum prima Oratio vel de SS. Trinitate, vel de Spiritu Sancto, vel de B. Virgine legatur, de quibus etiam ipsa tota Missa dicitur.

citur. Certe, si de aliis interdum Sanctis Missam in gratiarum actionem pro accepto quopiam beneficio legimus, frequenter eam etiam pro gratiarum actione vocitamus, nec tamen propterea juxta ipsos etiam Adversarios Oratio pro gratiarum actione primæ Orationi jungi debet. Optime tamen faciet, qui sese consuetudini receptæ in loco, in quo versatur, accomodat. Hoc unum adhuc addo, mirum nemini videri debere, si in Missa saltem solemni duæ Orationes primæ per unam clausulam claudantur, cum Gavanto teste l. c. id ipsum fieri debeat in Collatione Ordinum, Consecratione Episcoporum, Virginum, Ecclesiarum, Altarium & benedictione Abbatum, Cœmeterii &c.

VI. In Festis Semiduplicibus, etiam tempore Passionis, dicuntur ordinarie tres Orationes, & non plures, nisi aliud speciales Commemorationes exigant. Dixi *Ordinarie*: quia si tempore Passionis, infra Octavam Paschæ & Pentecostes occurrat Commemoratio de Simplici, in Missa de tempore, aut die infra Octavam, tertia Oratio non dicitur: sicut nec in Dominicis infra Octavas occurrentibus alia communiter, quam Octavæ fit Commemoratio. Arnaud. *p.* 1. *tit.* 8. *num.* 5. *&* 6.

VII. In Simplicibus dicuntur tres, quinque aut septem Orationes, modo impares sint, & septenis non plures. Quarti *tit.* 9. *p.* 1. *n.* 12. Excipe tamen Ferias infra Dominicam Passionis aut Palmarum occurrentes, in quibus duæ tantum dicuntur, prima de Feria, secunda de occurrente Festo simplici tantum. In Missis vero votivis si quæ fiunt per illas Ferias & Octavas supra dictas n. 6. (etiam si de Cruce aut Passione fiant) dicuntur tres Orationes aut plures, modo impares, ut proxime dictum, quia non sunt Missæ de Tempore, sed Votivæ Gerlac. *p.* 1. *tit.* 9. §. 5. *&* *p.* 2. *tit.* 3. §. 13.

VIII. Etsi Rubricæ plures præscribant Regulas ad cognoscendum, quas Orationes in Semiduplicibus & Simplicibus dicere oporteat, omnes tamen videntur ad tres sequentes revocari posse. Prima est In omnibus Missis, quæ sub Ritu Semiduplicis vel Simplicis de B. Virgine *explicite* (ut fit in Octavis illius, in Sabbato) vel *implicite* (uti fit in Vigilia & infra Octavam Omnium Sanctorum) celebratur, secunda Oratio de S. Spiritu, tertia Ecclesiæ vel pro Papa dicenda est,

sub-

subintellige, tam in hac, quam posterioribus Regulis, nisi specialis aliqua Commemoratio alicujus Sancti vel Ferię occurrentis facienda sit, tum enim illa secundo, Oratio de S. Spiritu tertio loco dicenda erit, nisi hæc quoque per secundam Commemorationem faciendam extrudatur. Secunda Regula est. In omnibus Vigiliis & Semiduplicibus infra Octavas aliorum Sanctorum occurrentibus dicitur secundo loco Oratio de S. MARIA, tertio *Ecclesiæ* vel pro Papa. Tertia est: In omnibus Semiduplicibus & Simplicibus, quæ non continentur in prioribus duabus Regulis, secundo & tertio loco dicedæ sunt Orationes, quæ secundo & tertio loco in Dominicis de Tempore dici solent: quod si vero specialis Commemoratio occurrat, tum hæc secundo, & quæ alioqui secundo loco dici debuisset, tertio dicenda erit. Excipe votivas de SS. Petro & Paulo legendas eo tempore, quo in Dominicis secundo loco Oratio *A cunctis* dicitur: tunc enim, ne bis fiat explicata mentio SS. Apostolorum, secundo loco pro Oratione *A cunctis*, Oratio *Concede*, quæ est prima inter Orationes ad Libitum dicęnda est.

IX. Cum dicuntur plures Orationes, & una est eadem cum alia ibidem dicenda, commutatur earum altera cum diversa vel ex Proprio, vel ex communi. Exemplum commutationis ex Proprio est casus Dominicæ Septuagesimæ occurrentis ante Festum Purificationis: nam quia Secreta ejus Dominicæ eadem est cum Secreta de B. Virgine tunc dici solita, & quia B. Virgo plures habet secretas proprias, commutatur hæc posterior cum alia Secreta propria ejusdem B. Virginis, videlicet cum *Tua Domine* ex votiva ejusdem Missa, uti expresse in Missali post Dominicæ Septuagesimæ Secretam monetur. Exemplum vero commutationis ex Communi est casus Festi SS. Quadraginta Martyrum occurrentis in Feria quinta Cinerum: & Festi S. Martini occurrentis in Dominica. 22. post Pentecosten: in utroque enim casu isto Secretæ de Festis sunt eædem cum Secretis de Feria & Dominica: commutabuntur itaq; in utroque casu Secretæ de Festis cum aliis Secretis ex Communi desumptis, qui est planus sensus Rubricæ: Quod idem fit in aliis Orationibus vel initio, vel in fine dicendis, si idem contingat, ita ut nunquam debeat commutari Oratio unius Dominicæ aut Ferię cum Oratione

pro

propria alterius sequentis Dominicæ aut Feriæ, uti Gavantus & alii opinantur: maxime cum Orationes Dominicis & Feriis plerumque ita congruant, ut valde inconvenienter aliis accommodarentur. Ita Quarti *p.* 1. *tit.* 7. *dub.* 5. In Orationibus vero ad libitum providi Sacerdotis erit eas seligere, quæ ejusmodi mutationi non sunt obnoxiæ. Tametsi autem in his posterioribus duobus exemplis videatur prima Oratio cedere secundæ contra prærogativam primæ Orationi debitam, juxta quam prima Oratio non debet excludi e loco suo, id tamen non obstat; cum enim Orationes de Festo sive ex propria Missa sumantur, sive ex Communi, sint formaliter idem, quia ad eumdem cultum ejusdem Sancti spectant, & tantummodo materialiter sint diversæ, facile apparet, per ejusmodi commutationem nihil fieri *formaliter* contra prærogativam primæ Orationis, ut recte Paulus Maria Quarti l. c. advertit. Sed quæri adhuc potest hoc loco, quid faciendum sit, si v.g. dies infra Octavam Dedicationis propriæ Ecclesiæ cum Dedicatione alterius Ecclesiæ, v. g. Salvatoris aut Cathedralis Ecclesiæ Diœcesanæ occurrat. Ratio dubitandi est, quia una tantum habetur Missa & Oratio pro Dedicatione, atque adeo non apparet, unde pro alterius Dedicationis Commemoratione Oratio sumenda sit. Sed respondere debet, etsi propria Oratio pro annua Dedicatione una tantum adsit, adesse tamen Orationem pro prima Dedicatione: eam proinde 'demptis iis, quæ primæ Dedicationi propria sunt, pro Commemoratione secundæ Dedicationis assumendam esse, uti de facto practicatur.

X. In Missa de Patrono, qui nominatur in Oratione *A cunctis*, in littera N. convenit illius loco alium nominare, Gavant. tit. 9. litt. H. In eadem Oratione, si Patronus sit dignior Apostolis v. g. S. Michael, aut S. Joannes Baptista, ante ipsos ponendus est, Gavant. p. 4. tr. 17. n. 19.

XI. In Missa de Sancto, qui titulus est Altaris, de quo tamen non recitatur Officium, sed Missa tantum ad ejusdem Altare in die ejus Festo (quia non debet omitti Oratio illius, de quo fit Officium) convenit, ut tertia sit Oratio, quæ tunc temporis secundo loco dicenda foret; est enim hæc Missa ex votiva (quia discordat ab Officio) & ex festiva (quia eo die obiit Sanctus, aut alia ex causa tunc celebratur ejus memo-

ria) mixta. Ita Gavantus p. 1. tit. 9. litt. I. Cujus doctrina quidem secundum se vera est; ratio tamen, qua probat ex votiva mixtam esse, non placet, quia supra jam ostendi, non hoc ipso, quod Missa aliqua discordet ab Officio, votivam esse. Rectius ergo tota Missa festiva dicitur, sed Simplici tantum ritu celebranda, quia majorem solemnitatem Ecclesia talibus Sanctis non concessit.

XII. Oratio pro seipso ad libitum non est dicenda, cum Episcopus, vel alius Major Sacerdote adest, quia ob reverentiam potius pro ipsis orandum esset. Gavantus l.c.n.30. Porro quia post editionem ultimam aliquot circa hanc materiam dubia sunt proposita, placet eorum decisionem breviter hic subjungere.

XIII. Itaque Q. 1. *An Sacerdos in Semiduplicibus pro devotione sua possit plures, quam tres Orationes sumere?* Resp. Gavantus fol. 27.n.12. non esse plures dicendas, nisi ob commemorationem aliquam faciendam: addo ego, aut oratio quæpiam pro publica necessitate, v. g. bello, aut peste avertenda, sit præscripta ab Ordinariis.

XIV. Q. 2. *An quando in Altari privilegiato Missa legitur, & animæ liberatio conceditur iis qui Missam pro defunctis aut certe Collectam de iisdem dicunt, hæc causa sufficiens sit, ut reliquis orationibus tribus in Semiduplici dici solitis quarta pro Defunctis inferatur?* Resp. videri omnino sufficientem; cum lucratio animæ gravis non immerito causa censeatur, atque adeo sicut ob necessitatem seu grave malum a viventibus avertendum oratio quarta tribus adjungi potest, ita non appareat, quare non etiam ad grave malum a Defunctis arcendum adjungi possit: nisi quis putet, decretum Alexandri VII. & Clementis IX. quo decreverunt, ut in Duplicibus Missæ votivæ non legantur, concesseruntque, ut Indulgentię, quæ alioqui non nisi per Missam de requiem obtineri poterant, per Missam de occurrente Festo dictam obtineri queant, etiam ad Missas de Semiduplici extendendas esse, atque adeo Collectam pro Defunctis in tali casu non requiri, quod aliis decidendum relinquo.

XV. Q. 3. *An supposito, quod pro Indulgentiis Altaris privilegiati obtinendis collecta pro Defunctis dicenda sit, sufficiat dicere Orationem viventibus & Defunctis communem, quæ incipit:*

cipit: Omnipotens sempiterne DEUS, qui vivorum &c. Resp. cum in oratione hac vere etiam pro Defunctis, licet non solis, oretur, non videre me, cur non sufficere possit ad dictas indulgentias obtinendas.

XVI. Q. 4. *An, quando oratio tertia ad libitum dicenda est, etiam de Sancto quodam Patrono, aut una ex iis, quæ in Missis Votivis habentur, assumi possit?* Resp. hanc decisionem totam pendere ex eo, quid per Orationem ad libitum intelligatur: si enim, ut aliqui putant, intelligantur eæ tantum Orationes, quæ circa finem Missalis in Catalogo Orationum ad libitum continentur, clarum est, tantum unam ex iis sumi debere, atque adeo nullam de Sancto assumi posse. Secus videtur dicendum, si per Orationem ad libitum intelligatur omnis oratio ab Ecclesia approbata, uti sentire videtur Gavantus variis in locis. 1. dum p. 1. tit. 7. n. 5. lit. K. sic loquitur: *Præcedunt quæcumque orationes, quæ ab Ecclesia certum habent locum, votivæ, quæ ad arbitrium Sacerdotis dicuntur, posteriorem occupant locum. Et sicut votiva v. g. de Spiritu Sancto cedit commemorationi Festi Simplicis, ita cedere debet orationi a cunctis, vel aliis, quæ secundo aut tertio loco jubentur dici. Videtur durum aliquibus, sed rationabile est, legem communem præponi arbitrio, hoc est, legi privatæ, quam sibi facit Sacerdos in orationibus votivis, quæ non concordant cum officio.* Ex quo textu clare apparet, hunc Authorem per orationem ad libitum etiam orationes votivarum Missarum intelligere, atque adeo ob paritatem rationis etiam orationem approbatam de alio Sancto admissurum, ita tamen, ut talis oratio post orationem *a cunctis* dicatur: quod quidem absurdum non esse, vel ex eo colligitur, quod de facto Oratio Fidelium præponenda sit Orationi de Sancto, si v. g. simplex Festum in Feria majori occurrat, & oratio *Fidelium* ratione mensis dicenda sit. 2. idem colligitur ex p. 1. tit. 9. n. 16. ubi cum sequentem Rubricam retulisset: *Si cum plures dicuntur Orationes, occurrat fieri commemorationem alicujus Sancti, ea ponitur secundo loco*: mox eam sic explicat dicens: *Intellige hic commemorationem Sancti non ad libitum Sacerdotis* (ubi utique supponit talem orationem pro oratione ad libitum sumi posse) *sed eam, quæ facta est in officio.* 3. Idem insinuare videtur, quando eodem loco paulo inferius ait, si a Superioribus de-

 cer-

cernatur pro publica caufa oratio quotidie dicenda, eam dici poffe loco orationis tertiæ ad libitum, cum tamen fæpe talis oratio non fit una ex Orationibus, quæ in Catalogo orationum ad libitum ponuntur, ut fi oratio pro Pace, vel eligendo Pontifice imperetur. Accedit, quod ipfa vox *arbitrium* fatis innuere videatur, in Sacerdotis poteftate effe, quācumque orationem approbatam ex miffali accipere, atque adeo Orationes ad libitum non ideo pofitas effe, quod neceffario una ex his fumenda fit, fed ut plures orationes ad manum habeat Sacerdos, quas pro variis cafibus ufurpare poffit. Verum quia hanc controverfiam nullibi expreffe decifam reperio, fatis erit, rationes pro utraque fententia attuliffe, fuumque cuivis judicium relinquere.

XVII. Q. 5. *An, fi a Pontifice vel Epifcopo oratio quæpiam pro publica neceffitate dicenda præcipiatur, ea fingulis in Feftis, etiam folemnibus dici debeat?* ℟. cum Gavanto p. 1. tit. 9. lit. I. Arnaudo p. 1. tit. 6. Andrea Pifcara p. 2. l. 2. Sect. 8. c. 3. in Feftis Simplicibus & Semiduplicibus eam vel loco tertiæ orationis ad libitum dici poffe, vel ultra illam quarto loco dici; in Duplicibus vero primæ Claffis dici non debere; uti S. Rituum Congregatio 27. Aug. 1627. decrevit. Imo nec in Duplicibus fecundæ Claffis eam dicendam effe juxta communiorem ufum infigniorum Ecclefiarum urbis Gavant. putat, licet Pifcara id concedat.

XVIII. Q. 6. *An etiam in privatis neceffitatibus oratio ejufmodi addi poffit a Sacerdote?* ℟. Pifcara l. c. ita quidem peritos aliquos a fe interogatos fenfiffe; addit tamen fuo judicio confultius facturum, qui Rubricas ftricte obfervare voluerit, omiffis hujufmodi orationibus, & per obedientiæ meritum, vel etiam magis feriam commendationem hujus neceffitatis fub *Memento* factam compenfatis.

XIX, Q. 7. *An quando in oratione A cunctis Patronus per literam N. indicatus nominandus eft, quilibet nominari poffit? Et an etiam plures nominari queant?* ℟. Cum liberum Sacerdoti arbitrium concedatur, Sanctum aliquem ea in oratione nominandi, non apparere caufam, cur non quemvis Canonizatum Sanctum ibi nominare queat, nifi privato aliquo præcepto ad certum Sanctum nominandum conftringatur. Sed nec duos nominare prohibitum videtur, maxime fi tales fint,

qui

qui alioqui ab Ecclesia conjungi solent,ut SS. Cosmas & Damianus: vel si cum Patrono universali Diœcesis Patronus privatus Ecclesiæ cujuspiam aut ordinis jungatur, uti ipsa Praxis confirmare videtur: plures tamen quam duos non putarem nominandos, quia hoc esset contra mentem & consuetudinem Ecclesiæ, nisi forte plures communi nomine exprimantur, ut si S. Mauritius, aut Ursula cum Sociis nominarentur.

XX. Q. 8. *An quando Sanctus aliquis, qui plures ejusdem nominis participes babeat, in oratione nominatur, v. g. Franciscus, liceat addere Seraphicus, ut cognoscatur, quis invocari soleat?* Resp. Cum hac in re exemplum ab ipsa Ecclesia habeamus, quæ interdum addere solet in orationibus aliud nomen, uti in S. Petro de Nolasco, 31. Jan. S. Petro Cœlestino 19. Maji. S. Raymundo Nonnato 31. Aug. & aliis videre est; interdum autem & communius nihil addere soleat, eo quod per intentionem Orantis determinatio sufficienter fiat, hoc ipso non videri contra mentem Ecclesiæ, si aliud nomen addatur, maxime in orationibus ex communi Sanctorum desumptis, nam ubi propriæ Orationes pro aliquo Sancto ab Ecclesia præscribuntur,nihil immutandum aut addendum est.

TITULUS XII.

DE COMMEMORATIONIBUS SPECIALIBUS

Ritus Communis.

I. Etsi Commemorationis nomine interdum in Rubricis etiam sola recordatio & commendatio alicujus v. g. Defuncti intelligatur, ordinarie tamen per illam *Collecta* seu Oratio in Missa & Breviario dicenda intelligitur, uti satis clare ex Tit. de Comem. & ex cap. Placuit 23. q. 5. colligitur. Porro sicut in Officio Divino aliquæ reperiuntur Commemorationes *communes*, quæ Suffragia vocantur, & sæpius intra annum dicuntur; aliæ vero *speciales*, quæ tantum ratione Festi occurrentis dicuntur; ita simili modo etiam in Missa communes & speciales fieri solent: Et communes quidem

quomodo faciendæ ſint, patet tum ex ipſis Miſſis de Tempore, ubi diligenter notantur: tum ex iis, quæ in præcedenti titulo ſunt dicta. Quando vero ſpeciales dicendæ ſint, hoc in titulo explicandum erit.

II. Ex tribus ergo Regulis potiſſimum cognoſci poteſt, quando ſpecialis Commemoratio facienda ſit. Prima eſt: Quotieſcumque in Laudibus fit Commemoratio de aliquo Sancto, etiam in Miſſis privatis facienda eſt, excepta Dominica Palmarum & Vigilia Pentecoſtes, in quibus nulla in Miſſa Commemoratio, licet facta fuerit in Officio Commemoratio Feſti Simplicis occurrentis. Arnaudus p. 1. tit. 7. n. 1. & 2. Secunda eſt: De omni Feria majore & Vigilia fit Commemoratio, ſi Miſſa dicenda eſt de Feſto illis diebus occurrente, excipe Feſta primæ Claſſis, in quibus nihil dicitur de Vigilia. Tertia eſt: Quotieſcumque Miſſa de Sancto, qui eſt Titulus Altaris, in ejus Feſto & Altari dicenda eſt, ſemper fieri debet Commemoratio illius, de quo Officium aut Commemoratio eſt facta.

III. Si plures ſunt Commemorationes faciendæ, tum ſi ſunt ejuſdem Claſſis, ſervanda eſt dignitas Orationum, ita ut de B. Virgine ante Angelos, de his ante Apoſtolos, & ſic deinceps fiat Commemoratio. Si duo ſimplicia occurrunt, quorum unum ſit commune toti Eccleſiæ; alterum particulari dumtaxat, tum illius ante hoc facienda eſt Commemoratio: ſicut & Commemoratio pro Defunctis penultimo loco fieri debet.

Ritus Solemnis.

I. Quando in Feſto ſecundæ Claſſis Feſtum aliquod Simplex occurrit, nulla in Miſſa ſolemni de eo Commemoratio eſt facienda, etiamſi ea in Laudibus Officii ſit facta. Rubric.

II. Si Miſſa votiva quæcumque ſolemniter cantetur pro re gravi, nulla in eo etiam Feſti occurrentis Commemoratio eſt facienda: Neque in Miſſa pro gratiarum actione, quia unitas Orationis ſpectat ad ſolemnitatem.

TITU-

TITULUS XIII.

DE EPISTOLA

Ritus Communis.

I. SEmper dicitur, voce alta, manibus super librum, vel super Altare positis, ita tamen ut palmæ librum tangant. Rubr.

Ritus Solemnis.

I. Etsi Tamburinus l. 2. c. 5. §. 2. & Sanchez l. 2. conf. 22. tr. 13. apud P. Gobat n. 759. putent præstare, ut Epistola audiatur; quam legatur, & Dian. p.2.tr.14.reg.43. neget, Celebrantem ulla lege ad eam legendam obligari, maxime cum nec Cæremoniale Episcoporum Epistolam legi jubeat: sed solum Graduale, & alia, quę sequuntur, recitari pręcipiat; quia tamen ipsæ Rubricæ p. 2. tit.6.n.4. expresse monent, ut Celebrans eam legat, & idipsum etiam consuetudo recepta confirmat, rectius facturus videtur Celebrans, si tali consuetudini se conformet, maxime si Episcopus aut Pręlatus non sit.

II. Lecta Epistola, & aliis, quæ sequuntur, exspectat, donec Subdiaconus veniat, cui flectenti manum deosculandam super librum offert, & postea benedictionem impertitur. Omittitur tamen hæc benedictio in Defunctorum missis; non tamen in Missa coram Ven. Sacramento exposito legenda, in qua manus Celebrantis osculanda est, licet alioqui in tali Missa oscula manus omitti jubeantur. Ita Gavant. p. 2. tit. 14. num. 10.

III. Quando Celebrans cantat Missam sine Diacono & Subdiacono, Epistolam cantat aliquis lector superpelliceo indutus, qui in fine osculatur manum Celebrantis, nec benedictionem petit, uti Barth. Corsettus p. 1. s. 6. notat.

TITULUS XIV.

DE GRADUALI

Ritus Communis.

I. SEmper dicitur, præterquam in Sabbato ante Dominicam in Albis, & reliquo tempore Paschali, cujus loco

tunc dicuntur duo Versus cum suis *Alleluja*, ut habetur in Rubricis p. 1. tit. 10. n. 2.

II. In Missa de Feriis in Adventu omittitur *Alleluja* cum suo Versu, sed non in Votivis, quæ dicuntur eo tempore, Gavant. p. 4. tit. 17. n. 11.

III. Si infra Octavam Paschæ dicitur Votiva privata, vel solemnis pro re gravi, non debet in eo dici Graduale, quia hoc tantum illi Octavę convenit. Debent ergo dici duo Versus cum *Alleluja*, sicut reliquo tempore Paschali. Gavant. l. c. num. 12.

IV. Tractus non dicitur in Feriali Missa a Septuagesima usque ad Quadragesimam, quando reperitur Missa Dominicæ: dicitur tamen in Votivis, quæ eo tempore dicuntur, Arnaud. Tract. 1. p. tit. 10. n. 2.

TITULUS XV.

DE EVANGELIO

Ritus Communis.

I. DUm ante Evangelium dicit *Munda cor meum*, meminerit oculos sursum levare, & manus ante pectus junctas, non in Altari positas tenere. Dicat etiam *Domine*, non *Domne*, quia non ab homine, sed a DEO petit benedictionem. Bauldrius p. 3. tit. 6. n. 1. & expresse id ipsum insinuant Rubricæ Missalis §. 7. n. 2. licet in ordine Missæ per errorem Typographi dicere jubeatur: *Jube Domne benedicere*.

II. Dum signatur Cruce liber super principio Evangelii, quod legendum erit, sinistra manus libro apponi debet, quia non est benedictio libri, sed signatio tantum: hinc etiam tam libri, quam Celebrantis in fronte, ore, & pectore signatio fit pollice tantum, & non primis duobus digitis, ut multi faciunt. Gavant. *p. 2. tit. 6. litt. O.*

III. Finito Evangelio Sacerdos elevato parumper libro osculatur principium Evangelii, quod lectum est, & dicit: *per Evangelica dicta* &c. In Missa Defunctorum omittitur osculum libri, & verba prædicta.

IV. Ad nomina JESU, MARIÆ, aut Sancti, de quo est Officium aut Commemoratio, caput versus librum inclinat,

nat, sicut & genuflectit versus librum, si in Evangelio genuflectendum est.

V. Evangelium respondens Officio, vel legendum est nobiliori loco, vel omnino omittendum. Idcirco in votivis semper dicitur Evangelium S. Joannis, Gavant. p. 1. tit. 13. lit. V. etiamsi contingat die Dominica votivam dici.

Ritus Solemnis.

I. Etiam in Solemni Missa a Celebrante Evangelium submisse dici convenit, uti expresse iterum Rubricæ p. 2. tit. 6. n. 5. monent, nec quoad hoc Cæremoniale Episcoporum dissentit, licet Authores tit. 13. n. 1. citati iterum putent rectius id audiri, quam legi.

II. Postquam dixit *Munda cor meum*, accedit ad cornu Evangelii; ibique Evangelium legit, in fine tamen non osculatur librum, nec dicit: *Per Evangelica dicta*, si quidem Diaconus & Subdiaconus adsint. Lecto Evangelio redit ad medium Altaris, & ubi Diaconus cochlear pro thure imponendo porrigit, imponit thus, & more solito benedicit. Postquam vero Diaconus benedictionem petiit, conversus ad illum dicit manibus junctis, *Dominus sit in corde*, & cum dicit, *in nomine Patris*, sinistra pectori admota, signum Crucis dextra super Diaconum facit, eamdemque super librum extensam deosculandam porrigit, etiamsi Ven. Sacramentum in Altari sit expositum, ut supra tit. 3. de Epistola ex Gavanto dictum est. Inde ad medium reversus, postquam Diaconus cantavit *Dominus vobiscum*, facta Cruci reverentia, ad cornu Epistolæ se retrahit, & ad Diaconum vertit, signans se Cruce cum eodem in fronte, ore, ac pectore; & quando cantatur nomen JESUS, profunde versus Crucem: si vero nomen MARIÆ, aut Sancti, de quo Officium celebratur, aut Commemoratio facta est, versus librum se inclinat. Quod si flectendum sit ratione Evangelii, ipse versus Altare flectit. Post Evangelium ubi Subdiaconus librum apportaverit, ipse ambabus manibus eum contrectans, aliquantulum inclinatus osculatur, & dicit: *Per Evangelica dicta*, seque incensari a Diacono permittit, quod tamen utrumque non fit in Missa pro Defunctis, nec quando unus vel plures Prælati Missæ intersunt, tunc enim vel ipsi Prælato, si solus sit; vel si plures

&

& æquales fuerint, nulli osculandus offertur, nec quisquam incensatur ex illis. Bauld. *p.*4. *tit.*6. *n.* 3. Dubitarunt tamen hoc loco nonnulli, an non Venerabili exposito perinde ad incensationem Celebrans in planum descendere debeat, sicut ab initio ante Introitum descendit. Sed respondendum videtur, non debere eum descendere, eo quod hic alias osculari debeat librum a Subdiacono oblatum, adeoque statim etiam in eodem loco consistens incensationem admittere possit, uti communis praxis habet, & ipsi Rubricistæ satis confirmare videntur, qui nullam de simili descensu mentionem faciunt.

TITULUS XVI.

DE CONCIONE

Ritus Solemnis.

I. CONCIO regulariter habenda esset statim post Evangelium, Celebrante incensato: si quidem tunc incensatio facienda sit, aut saltem post *Credo*, si dicendum sit, uti plurimum Ecclesiarum usus habet. Potest tamen ob Ecclesiæ vel Populi commoditatem ante vel post Missam, non autem post oblata haberi, cum hoc sit expresse contra Rubricas Missalis. Bauldr. *p.* 1. *c.* 15.

II. Si Celebrans ipse concionatur, sedeat in cornu Evangelii super sede parata, deposita casula & Manipulo: si autem hoc fieri commode non possit, deposita Planeta & Manipulo ad Cathedram sine Ministris procedat, Gav. *p.* 1. *tit.* 6. *n.*6.

III. Si coram Episcopo in loco suę jurisdictionis *sub Missa* (nam extra illam petere non debet) eum concionari contingat, circa initium Evangelii ad eum debita reverentia accedat, & genuflexus benedictionem petat dicens: *Jube Domine benedicere*, osculata prius manu ejus. Tum Cathedram ascendens, Prælato profundam, aliis capitis inclinationem faciat, Bauldrius *p.* 1. *c.* 10. *n.* 9.

IV. Si SS. Sacramentum sit expositum, Concionator durante Concione, nudo capite stare debet, nisi velum obducere velit Sacramento, *Ibid.* *n.* 4. quod tamen recte aliqui intelligendum ajunt, si Concionator intra Chorum, in quo SS. Sacramentum expositum prostat, concionetur; secus vero,

si

si Cathedra in navi templi seu infra Chorum sit erecta.

V. Si SS. nominum JESU vel MARIÆ fiat mentio, caput discooperire debet; si tamen sæpe sint repetenda, utatur potius nomine Christi, Redemptoris, Dominæ nostræ, Cæli Reginæ aut similibus, *Ibid. n.* 3.

TITULUS XVII.

DE SYMBOLO

Ritus Communis.

I. QUando dicatur Symbolum, conati sunt aliqui tribus hisce verbis, *MUC non credit*, exprimere: indicare enim per hoc voluerunt, Symbolum nunquam dici in Festo ullius *Martyris* per literam M. *indicati*: neque *Virginis*, aut *Viduæ*, alteriusve *non Virginis*, per litteram *U.*(excepta S. Maria Magdalena) nec *Confessoris*, per litteram *C.* repræsentati (si non sit Doctor Ecclesiæ) nisi ejusmodi Sancti, & Sanctæ sint Patroni, aut Titulares Ecclesiæ totius (non Capellæ tantum in eadem Ecclesia) aut in Dominicis, & infra Octavas Festorum Symbolum habentium occurrant, sicut constanter occurrunt S. Joannes Baptista, S. Laurentius, S. Stephanus: & non constanter, plures alii: aut de iisdem approbata quædam insignis Reliquia (qualis juxta Quarti *p.* 1. *tit. dub.* 3. non est manus, vel pes vel aliud frustum, sed caput, brachium, crus, aut pars illa, in qua passus est Martyr, modo integra sit, & non parva) habeatur. Gavant. *p.* 1. *tit.* 11 *litt. H.* Censebitur autem etiam adhuc *integra pars*, caput v. g. tametsi ex pluribus fragmentis constet per artificialem unionem conjunctis: modo adsint omnia frusta, seu fragmenta, quæ requiruntur ad integritatem ejusdem membri, & ita apte simul conglutinentur, ut appareat integrum caput, brachium &c. Quarti *p.* 1. *tit.* 1. *dub.* 4.

II. Ex dictis porro colligitur, Symbolum dicendum esse, in omnibus Festis SS. TRINITATIS, sive in Communi(quo spectant omnes Dominicæ, præcipue TRINITATIS) sive in specie (uti sunt omnia Festa Christi, etiam de Inventione, Exaltatione Crucis illius, & ob paritatem rationis, de Spinea Corona, aut Festo Armorum illius, Transfiguratione, & Cœna in Feria quinta S. Hebdomadæ, & Dedicatione S.

Salva-

Salvatoris. Item Festa S. Spiritus, nempe Pentecostes. In Festis quoque B. Virginis, & Angelorum, Evangelistarum, & Apostolorum; tam in Festis propriis, quam alia cuiusque memoria. Reducuntur quoque ad Festivitates Apostolorum, solemnitates, quæ fiunt in creatione, & coronatione Summi Pontificis; in electione & consecratione Episcopi, qui sunt Successores Apostolorum: quo etiam spectant, ob eamdem causam, Festa Doctorum Ecclesiæ. Quarti *p.10. tit. 21. in litt.*

II. His accedunt Dedicatio, quotiescumque præscripta est in Missali, Consecratio Ecclesiæ aut Altaris, Anniversarius quoque Dedicationis Ecclesiæ propriæ, & Cathedralis, per Diœcesin, etiam a Regularibus (ex congruentia) sed sine Octava, tamen pro Festo primæ Classis, observandus, Gavant. *to. 2. sect. 3. c. 5. n. 5.* In Festo etiam SS. Omnium Symbolum dicitur, quod apud Gavant. p. 1. tit. 11. ad Dedicationem ab Innocentio refertur.

IV. Dicitur Symbolum per omnes Octavas Festorum præcedentium, quæ cum Octava celebrantur.

V. Symbolum quoque dicitur in Festo Patroni, Titularis, & in Festis principalibus Ordinum, & per eorum Octavas in Ecclesiis illis tantum, in quibus hæc Festa celebrantur. Ubi dubitarunt nonnulli, an si v.g. alii, qui ad Ecclesiam illam vel Ordinem non pertinent, ibidem celebrent, sub ritu duplicis primæ Classis, an vero sub ritu communi Missam dicere, adeoque *Credo* omittere debeant, si alioqui nullum ea Missa habeat; ad quod dubium respondendum videtur, posse omnino quemque sub eodem ritu, quo Ecclesia illa tale Festum celebrat, licet non teneatur; si enim potest Peregrinus Legibus loci, per quem transit, se accommodare, cur non & is, qui in Ecclesia aliena celebrat, ritum illius Ecclesiæ observare queat? Symbolum quoque dicitur in Festis principalibus Ordinum, & per eorum Octavas, in Ecclesiis eorum Ordinum tantum. Et denique in Missa solemni, pro re gravi vel publica Ecclesiæ causa; qualem neutram facit solus Populi concursus, Gavant. *p. 1. tit. 11. litt. N. in fine.* Causæ autem, ob quas res pro gravi habenda sit, supra sunt positæ, *tit. 10. num. 4* Publica vero Ecclesiæ causa dicitur, ob quam Oratio fit solemnis, decem, vel quadraginta horarum, &

quan-

quando fiunt Comitia generalia, vel provincialia Regularium &c. Gerlac. p 1. tit. 11. §. 6.

VI. An vero in Translatione Sanctorum Symbolum dicatur, quæstio est. Gavantus p. 1. tit. 11. litt. H. dicendum putat, si Officium sit Duplex, quod Translationi principalis tantum Patroni concedere solet sacra Rituum Congregatio. Gerlac. autem *p. 1. tit.* 11. §. 2. Si Festum, inquit, Translationis sit alicujus Sancti, qui requirat Symbolum in Festo proprio, v.g. si sit Doctor Ecclesiæ, vel Apostolus &c. videtur dicendum etiam Symbolum, licet Festum sit tantum Semiduplex. Hinc porro infert, in Ecclesiis, in quibus Feria quinta, aut in Sabbato Officium fit de SS. Sacramento, aut B. Virgine, sub Ritu Semiduplici, Symbolum dicendum esse sicut dicitur in Dominicis, quæ tantum sunt Semiduplicia. Sed hæc opinio videtur contra communem Ecclesiæ praxin, quæ nulli Semiduplici Symbolum assignare consuevit; nisi sit dies Dominica, aut dies infra Octavam. Unde omnino sententia Gavanti præferenda videtur.

VII. In Missis privatis, ad verba *Incarnatus est*, etiam in Festo Annuntiationis, & tribus Missis in Nativitate Domini Celebrans non flectit utroque genu, sed uno tantum, ut facilius surgat, juxta usum communissimum, ait Gavant. *p.* 1. *tit.* 7. *ad finem.* Cum dicit *JESUM Christum*, &, *adoratur*, caput inclinat.

Ritus Solemnis.

I. Finito Evangelio aut Concione, datoque signo a Cæremoniario, extendens & elevans manus, *Credo* cantat, & dum dicit *in Unum*, easdem conjungit, & caput Cruci inclinat prosequendo Symbolum privatim. Ad verba *Incarnatus est*, genuflectit, ut supra dictum est num. 7. & ad *JESUM Christum*, & ad *adoratur* caput inclinat. Dum dicit *Et vitam venturi sæculi*, Cruce majori sese signat, & facta Cruci debita reverentia, per viam breviorem ad sedem suam descendit, ubi ad verba supradicta caput, & ad *Incarnatus est* profunde se inclinat; si non sedet, genuflectit, ut n. seq. in fine.

II. In Festo Nativitatis Domini & Annuntiationis surgit a sede, & super infimo gradu in cornu Epistolæ flectit genua, facie ad cornu Evangelii conversa, & quando canitur,

Homo

Homo factus est, caput inclinat: aut si non sedet, in superiori Altaris gradu genuflectit, & ad dicta verba caput profunde inclinat.

III. Cum Diaconus ante, quam ad credentiam vadat, profunde se inclinat ante Celebrantem, ipse quoque modica capitis cooperti inclinatione eidem respondet.

IV. Circa finem Symboli dato signo surgit, & ad Altare redit, sicut supra de fine ad *Gloria in Excelsis* dictum.

TITULUS XVIII.

DE OFFERTORIO

Ritus Communis.

I. Offertorium semper dicitur, excepto Sabbato sancto.

II. Tempore Paschali *Alleluja* additur, nisi jam ante fuerit additum.

III. Dum Calix denudatur (quod adhuc fit super Corporale) velum non est ponendum super Corporali (quia super hoc nihil poni debet, nisi quod Corpus & Sanguinem Christi tangere aut tegere solet) sed juxta Corporale, aut Palla super illud poni, ut facilius apprehendi queat. Ita Gavant. p. 2. tit. 7. & Bauldrius. p. 3. tit. 7.

IV. Dum aquam affundit vino, meminerit effati a Gavanto p. 2. tit. 7. n. 2. ex Rudolpho allati: *Quanto paucior, tanto potior.* Ne tamen nimium anxius sit, timeatque, ne nimium affundat, recordetur pariter, Synodum Tiburiensem approbasse factum illius, qui tertiam partem aquæ in Calice miscuit, teste P. Gobat tract. 3. n. 61. ubi ipse quoque consentit, si vinum tam robustum sit, ut tertia parte aquæ affusa retineat adhuc substantiam & nomen vini. Sed neque de guttis per Calicem dispersis nimium sit sollicitus; nam, etsi recte Gavātus & alii moneant, easdem aut Purificatorio abstergendas, aut circumacto Calice reliquis vini & aquæ partibus uniendas esse, si ante Consecrationem videantur; si tamen idipsum non fiat, nullum committi peccatum. Tamburinus *l.2.de Sacrif. c.* 1. §. 3. *n.* 29. docet, addens, non expedire, ut illa abstersio fiat immediate ante Consecrationem

Ca-

Calicis & verba : *Simili modo* : omnino autem male fieri, si post Consecrationem abstergantur.

V. Sub Offertorio Calix ita tenendus est elevatus, ut ipsius cupa oculos non excedat, neque sit infra os, ad differentiam Calicis elevati. Signum Crucis cum Calice fit ambabus manibus, Bauldrius l. c. n. 2.

VI. Si fuerint plures Hostiæ offerendæ, discooperiat eas ante, quam accipiat Patenam, & si spatium patitur, inter Calicem & secretarum tabulam eas collocet: non tamen debet elevare pixidem sub prætextu oblationis, sed sufficit, si intentionem ad eam dirigat, Gavant. l. c. litt. Y. Quod si vero contingat, ut Sacristanum quidem Hostias Ciborio inclusas Altari imponentem pro Consecratione viderit, sed tamen ipse eas aut aperire ad oblationem, aut corporali Arulæve admovere oblitus sit, non repetat amplius oblationem, cum Laymanus tr. 4. c. 2. n. 15. testetur, esse intentionem & praxin Ecclesiæ, ut in tali casu particulæ tales, si forma Consecrationis super eas prolata sit, consecratæ censeantur.

VII. Dum Cruces super Hostiam & Calicem format, non faciat id descendendo ad Hostiam, sed æquali tractu & transverse super oram anteriorem Pallæ, quæ calicem tegit, Gav. l. c. litt. P. Ubi addit, juxta peritiores Romæ a se consultos in formandis Crucibus ejusmodi hanc Regulam servandam esse, ut duæ dumtaxat lineæ, non quatuor formentur, eæque mensuram palmi communis manus non excedant. Item ut transversa pars Crucis fiat manu quoque transversa, seu paululum incurvata. Ego uti neminem in hac re, de qua Rubricæ nihil expresse dicunt, nimis scrupulosum esse velim, ita maxime suadeo, ut decentia, gravitasque studiose observetur, ita ut nec tarde nimis, nec etiam nimis celeriter fiant ejusmodi Cruces, simulque etiam distinctio inter Crucem, quæ super utraque oblata, & quæ super unum dumtaxat fieri præcipitur, appareat, quod fiet, si Crucis illius, quæ super utrumque oblatum formatur, linea recta initium sumat ab extremitate anterioris partis Pallæ, producaturque paululum ultra Hostiam, transversa vero linea post extremitatem posterioris partis ejusdem Pallæ ducatur: illius vero Crucis, quæ super solum Calicem formatur, linea recta ab una extremitate ad alteram, linea vero transversa per medium

dium Pallæ pariter ab una extremitate ad alteram ducatur. Et illa tandem Crux, quæ super solam Hostiam formatur, paululum ante Hostiam inchoetur, paululumque post illam producatur.

VIII. Psalmus *Lavabo* dici potest, dum ad medium reditur, modo ad *Gloria Patri* caput inclinetur. Omittitur hic Versus in Missis Defunctorum, & de Tempore a Dominica Passionis usque ad Sabbatum sanctum exclusive, in Festis autem hoc tempore occurrentibus & Missis votivis, etiam de Passione, & Cruce, hoc tempore lectis, non omittitur. Gerlac. p. 2. tit. 3. §. 13.

Ritus Solemnis.

I. Dicto Offertorio, accipit a Diacono Patenam, & more consueto offert. Deinde dicto a Subdiacono: *Benedicite Pater Reverende*, benedicit aquam more consueto, & acceptum a Diacono Calicem offert, ut alias, non tamen palla tegit ipsemet, sed Diaconus.

II. Post Orationem *Veni Omnipotens* thus in thuribulum ter imponit, interea Orationem *per intercessionem* ita dispensans; ut ad Verbum *benedicere* absolveret tertiam impositionem, illudque per signum Crucis benedicere queat.

III. Tum arrepto thuribulo ter ducit illud super Calicem & Hostiam simul in modum Crucis, non veluti per quatuor puncta, sed quasi per lineas rectas eam formando, & interea verba illa *Incensum istud* † *a te benedictum* † *ascendat ad te Domine*, † dicendo. Post quæ ter circum Calicem, bis a dextra ad sinistram suam, & semel a sinistra ad dextram ducit, & ad primum ductum verba *descendat super nos*, ad secundum *misericordia*, ad tertium *tua* pronuntiat. Et tandem Altare more solito incensat, non omittens tamen interea Preces in Missali præscriptas recitare, quas aliqui ita dividunt, ut singulis prope ductibus singula verba respondeant: alii tamen non sunt tam scrupulosi, sed singulos sensus continuatos pronuntiant, & inter incensationes distribuunt. Peracta incensatione reddit thuribulum Diacono, & stans in loco ab illo incensatur.

TITU-

TITULUS XIX.

DE SECRETIS ORATIONIBUS

Ritus Communis.

I. AD Orationes secretas, semper omittitur ***Dominus vobiscum, & Oremus.***

II. Cum plures dicuntur, non tantum ultima, sed etiam prima Oratio integre terminatur cum tota inclusione: in quo non pauci errant, existimantes, primæ Orationis conclusionem abrumpendam esse, omittendo verba illa, *Per omnia sæcula sæculorum, Amen*, perperam intelligentes Rubricam: quæ cum dicit, *Orationes dicuntur secreto, usque ad illa verba in conclusione, Per omnia sæcula sæculorum*, plus non vult, quam in conclusione ultimæ Orationis verba illa, non secreto, sed clara voce dicenda esse. Gerlac. *p.* 1. *tit.* 12. §. 2.

TITULUS XX.

DE PRÆFATIONE

Ritus Communis.

I. DIcitur semper Præfatio, præmissis Versibus notatis, inter quos diligenter attendendum est, ut ad *Gratias agamus* jungat manus, & ad *DEO nostro*, elevet oculos, caputque inclinet. NB.

II. Si intra Octavam Festi habentis propriam Præfationem occurrat Festum ex Majoribus non habens propriam, dicitur Octavæ Præfatio, licet de ea nulla fiat Commemoratio,

III. Infra Octavam Nativitatis Domini, de Festo occurrente, ut puta S. Joannis Apostoli & Evangelistæ, non dicitur alia Præfatio, quam de Nativitate. Hinc si infra eandem Octavam, Missa votiva vel privata, vel solemnis pro re gravi dicatur, Præfatio quoque de Nativitate dicenda erit, etsi alioqui votiva propriam Præfationem habeat: in aliis autem Octavis propria Votivæ Præfatio preferenda erit, quod idem etiam dicendum est de aliis Missis propriam Præfationem habentibus.

IV. Si infra Octavam, quæ habet Prefationem propriam, dicenda sit Missa de Feria privilegiata v. g. Quatuor Temporum aut Vigiliarum, non dicitur alia Præfatio, quam Communis. Excipe Vigilias Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, & Missam Litaniarum majorum & minorum, in quibus Præfatio Paschalis vel Pentecostes dicitur. Arnaudus *p. 1. tit. 12. n. 2. & 4.*

V. In Festo Conceptionis B. Virginis, cum Ecclesia permittat modo in partibus Aug. Imperatori subjectis Festum Immaculatæ Conceptionis cum Octava celebrari, addi potest in Præfatione: *Et te in Immaculata Conceptione* B. MARIÆ &c. uti Diœceses aliquæ in suis Directoriis monent.

Ritus Solemnis.

I. Absoluta Prefatione exspectat, donec Diaconus & Subdiaconus ad utrumque illius latus accesserint, & cum iisdem, sed media tantum voce *Sanctus* pronuntiat.

II. Verba illa: *Benedictus qui venit &c.* non cantari deberent a Choro, nisi post elevationem Calicis, etiam in Defunctorum Missis, ut in Capella Papali observari testatur Corsettus *tr. 2. p. 1. s. 1. n. 3. & ex Cærem. Episc. l. 2. c. 3. colligitur*, licet hoc a paucis observetur.

III. Quando Missa votiva pro re gravi aut publica Ecclesiæ causa celebratur, dicitur Præfatio in Tono solemni Arnaudus tr. 1. p. 1. n. 12.

TITULUS XXI.

DE CANONE.

I. Semper dicitur Canon, & quidem tanta cum obligatione, ut teste Suar *d. 83. a. 3.* non desint, qui putent peccare mortaliter eum, qui vel unicum verbum culpabiliter omittit: etsi vero ipse cum Filliuc. & aliis communiter id neget, omnes tamen fatentur, facilius in hac parte, quam in aliis peccari per omissionem. Et ideo forte *Canon*, id est, regula conficiendi Sacrificii per Antonomasiam est dictus. Vocatur etiam *Actio*, eo quod in hac actone sit legitimus Ordo & Regula stabilis ad Sacramentum hoc conficiendum compre-

prehensus. In ordine ad praxin Tamburinus post S. Gregorium apud & cum P. Gobat n. 751. eum ad initium Orationis Dominicæ finiri putat. Tannerus autem *q.* 10. n. 94. *in majorem & minorem* dividi solere ait, & per minorē quidem intelligi ea, quæ ab Offertorio usque ad Consecrationem fiunt; per majorem vero ea, quæ a Consecratione usque ad Communionem peraguntur.

II. Caput etiam hic ad nomen Papæ inclinatur, quia in Rubrica de Oratione, ubi id fieri præcipitur, non est addita particula *tantum*.

III. Quando nominandus est Episcopus, nominari debet Episcopus loci, in quo celebratur, non celebrantis. Arnaud. *tit.* 8. *n.* 3. & Rubrica §. 8. de Canone. Quod si tamen aut hic, aut Papa sit mortuus, omitti debent verba illa, *cum Famulo tuo*, aut *cum Antistite nostro*.

IV. In *Memento* pro vivis vocem non alte proferat, nec oculos elevet, sed demissos modeste teneat, caputque modice inclinet, & manus junctas ante pectus (sub utroque *Memento*) ad faciem usque elevet.

V. In Commendatione Vivorum facienda, poterit secundum S. Thomam *p.* 3. *q.* 79. *a.* 4. quatuor observare. 1. Ut intendat omni meliori modo prodesse iis, quorum Ecclesia expresse in Canone meminit, quibus DEUS distribuat portionem Sacrificii generalem pro eorum capacitate ac mensura. 2. Ut provideat sibi ipsi de portione debita, quam solus DEUS novit, quanta sit. Quantacumque tamen sit, certum est esse majorem, quam referat is, qui Sacrificium tale fieri jubet. Unde S. Thomas ait, Celebrantem magis profuturum aliis, si hunc fructum, in quantum satisfactorius est, offerat, quam si simpliciter pro illis celebraret. 3. Ut suffragari intendat, quando potest affectu iis, quibus sive ex Obedientia, sive ex titulo Beneficii, Legati, Contractus rationabilis, promissionis, voti, Eleemosynæ acceptæ aut promissæ prodesse per hoc Sacrificium tenetur, & ea ratione, qua obligatur. Si vero ii non egeant, aut sint incapaces, substituat alios per secundariam intentionem. 4. Ut aliis etiam prodesse intendat sine prædictorum præjudicio, eo ordine & quantitate fructus, quo DEUS scit ipsum teneri, & eos specialiter nominandos DEO commendet, sive ad pœnarum re-

 missio-

missionem, sive ad variarum gratiarum impetrationem. Quæ omnia cum proportione etiam in Commendatione Defunctorum post Consecrationem observet.

VI. Si Festum habet proprium *Communicantes*, & Præfationem, infra Octavam illius dicitur alia Missa habens etiam propriam Præfationem, propter quam Præfatio Octavæ omitti debeat, non hoc ipso etiam *Communicantes* Octavæ omittendum est: & sic contingit, si Festum SS. Apostolorum Philippi & Jacobi infra Octavam Ascensionis occurrat. Arnaud. *p.* 1. *tit.* 12. *n.* 6.

VII. *Communicantes* & *Hanc igitur*, Propria Festorum, non dicuntur in Missis Defunctorum intra quascumque Octavas forte dicendis, Gerlac. *p.* 1. *tit.* 12. *n.* 6. Sub ipsa Consecratione non nimium se inclinet (cum Rubrica tantum caput inclinari jubeat) nec unum pedem supra alterum ponat, aut ad singula verba caput moveat, aut illa cum violentia aut grandi aspiratione extrudat, aut Calicem, dum consecrat, super Hostiam teneat. Bauldrius *p.* 8. *tit.* 8. *num.* 2. & 3.

VIII. Dum adorat Hostiam, unico genu id faciat, cubitis extra Altare positis, & manibus super extremitate Altaris retentis, ut commode usque ad terram genuflectere queat. Non autem diu elevatam teneat, & in Elevatione digites extentos jungat, uti & imas partes manuum, ut solidius & decentius eam elevet. *Ibid. n.* 4.

IX. Verba illa *Hæc quotiescumque* profert genuflectendo, antequam Calicem in altum elevet. Non autem elevet Hostiam aut Calicem extra Corporale, aut supra caput, nec nimis alte, nec nimis lente, nec manum aut Hostiam osculetur. Elevata autem Hostia, eam adoret prius, quam Calicem detegat. Et sub utraque Elevatione oculos in id, quod elevat, intentos habeat. Restituto autem Calice prius cum palla cooperit, quam genuflectat.

X. Ad *Memento* pro Defunctis non jungat manus, antequam dixerit verba illa *in somno pacis*, memineritque ad *per Christum Dominum* caput inclinare.

XI. Cum ad illas voces *Nobis quoque peccatoribus* pectus percutit, tribus digitis ultimis id faciat, ne pollex & index juncti Planetam tangant: sinistram vero super Corporale,

non

non super pectus teneat. Meminerint quoque illa verba voce media dicenda esse.

XII. Quando ad illa verba *Per ipsum* ter signum Crucis cum Hostia facit inter labia Calicis, ipsam Hostiam aliquantulum infra medium oræ apprehendat, ut dictas Cruces facilius formare possit intra Calicem. Bauldrius *l. c. n.* 3.

TITULUS XXII.

DE ORATIONE DOMINICA ET ADIUNCTIS

Ritus Communis.

I. SEmper dicitur Oratio Dominica, etiam in Officio Parasceves.

II. In fine non dicit *Sed libera nos* secreto, sed Ministro dicendum relinquit, ipse vero *Amen* dicit.

III. Dum dicit Orationem *Libera nos*, Patenam aliquantulum Purificatorio extergens, eamque inter indicem & medium digitum accipiens super Altare erectam tenet, sinistra super Corporale posita.

IV. Dum Hostiam frangit, incipiat a Superiori parte, particulam vero in calicem immittendam, ab inferiori parte in manu sinistra relicta præcidat. Gavant. p. 2. tit. 10. litt. Y.

Ritus Solemnis.

I. Finita Oratione Dominica patenam a Diacono accipit, eamque, ut in privata Missa super Altari erectam tenet.

II. Quando vult genuflectere post verba illa *ab omni perturbatione securi* non ipse pallam detrahit, sed Diacono id faciendum relinquit, qui & eadem palla iterum cooperit Calicem, postquam particulam Calici Celebrans immerserit.

TITULUS XXIII.

DE AGNUS DEI

Ritus Communis.

I. SEmper dicitur *Agnus DEI*, præterquam in Sabbato Sancto.

II. Quando dicit bis *Miserere nobis*, & tertia vice *dona nobis pacem*, percutit tribus ultimis dextræ digitis pectus, manu sinistra interim super Altare posita; quin etiam dextra post primum & secundum pectoris pulsum, nisi tam cito dicat illa verba, ut quiescere manus non possit. Deinde junctis super Altare manibus dicit tres Orationes consuetas cum humerorum inclinatione, quia licet Rubrica dicat *Agnus DEI* inclinato capite dicendum, ipse tamen Ordo Missæ jubet, ut inclinatus (per quam vocem, teste Bauldrio, humerorum inclinatio indicatur) illud pronuntiet, atque adeo priorem Rubricam explicat.

TITULUS XXIV.

DE PACE DANDA

Ritus Communis.

I. IN Missis privatis non datur Pax, nisi quando Prælatus aut Princeps intereft. Bauldrius tit. 10.

II. In Missa pro Defunctis neque Pax datur, neque Oratio pro Pace dicitur.

III. Quando Celebrans in Missa privata ante Prælatum (intelligendo per hunc non Ecclesiasticos tantum aut Religiosos Antistites, sed etiam sæculares Principes) Orationem pro Pace dixit, & Altare in medio osculatus est, osculatur pariter instrumentum a Ministro oblatum, manibus ante pectus junctis, & iterum ad Altare se convertens, solitas Orationes prosequitur. Bauldrius p. 3. c. 10.

Ritus Solemnis.

I. Si in Missa solemni Diacono daturus est pacem, post dictam Orationem osculatur Altare in medio, & sinistra gena eidem Diacono appropinquans, eumque ita amplectens, ut brachia bina super humeros illius ponat (ut Arnaudus *tit.* 10. *n.* 26. & Ordo Romanus præscribit) dicit ad eum: *Pax tecum.* Si tamen alicubi consuetudo habeat, ut, qui dat pacem, solam manum dextram super sinistrum humerum accipientis; sinistram vero sub axillis ponat, poterit & illa retineri.

II. Aliqui ante quam Diacono pacem offerant, prius Ven-

Ven. Sacramento genuflectunt, idque iterum faciunt, quando se ad Sacramentum convertunt; sed quia Rubricæ & Authores solum jubent genuflectere, quando accedit vel recedit a medio Altaris, in quo SS Sacramentum expositum prostat, neque ullius talis genuflexionis mentionem faciunt, ideo rectius videtur omitti.

III. Si in hac Missa etiam Prælato alicui pax danda est, tum Diaconus sub prima Oratione *Domine JESU Christe* ad dextram Celebrantis progressus accipit instrumentum, seu tabellam pacis, genuflectit, finita Oratione surgit, & primo cum Celebrante Altare osculatur, postea apposite porrigit tabellam osculandam Celebranti, qui solus eam osculatur dicens: *Pax tecum*, cui Diaconus respondet: *Et cum Spiritu tuo*, & mox facta genuflexione vadit ad Prælatum, eique porrigens instrumentum pariter dicit: *Pax tecum*, tum ad Subdiaconum vadens, ei quoque instrumentum (nisi alicubi consuetudo habeat, ut per amplexum fiat) osculandum offert, & pacem precatur; Subdiaconus vero Cæremoniario per amplexum pacem defert. Gavant. *tit.* 10. *n.* 8.

IV. Qui pacem dat, ante nulli se inclinat, sed post tantum. Dum vero instrumentum porrigit, prius reverentiæ causa, illud quasi osculaturus decenter ad os suum retrahit, & tunc primum osculandum offert. Idem.

TITULUS XXV.

DE SUMPTIONE HOSTIÆ ET CALICIS

Ritus Communis.

I. DUm dicit: *Domine, non sum dignus*, non imponat Altari sinistrum cubitum, sed inter pectus & Calicem suspensum teneat, quia Rubrica jubet, ut postea primum cubitis super Altare positis Corpus Christi sumat, sed nec corpus profunde inclinet, dum eadem verba recitat; quia Rubricæ parvam tantum inclinationem præcipiunt. Neque teneat Hostiam elevatam ad latus, ut a Populo videatur, neque corpus contorqueat, aut unum pedem alteri imponat. Aliqui, dum Hostiam in manu tenent, manum decenter aræ impo-

nendam esse contendunt, ne libera diu in aere hæreat; sed hi minus conformiter Rubricis agunt, utpote quæ nihil dicunt de manu Altari imponenda, quod tamen alias diligenter faciunt. Neq; inconveniens est, manum in aere suspensam teneri, si in aliqua re tenenda occupetur. Poterit tamen & hic quisque communiori consuetudini se accommodare. Bauldr. tit. 10. n. 9. ad illa verba. NB.

II. Aliqui ante Sumptionem Hostiæ Meditationem instituunt, aut varios actus virtutum, ut humilitatis, contritionis, amoris, &c. exercent, aut vota sua (si Religiosi sunt) renovant, in quos Dicastillo *d.* 4. *dub.* 13. *n.* 269. tanquam nimis devotos insurgit; sed eorum Patrocinium suscipit P. Gobat. n. 756. dicens: Puto, non venisse ulli Pontifici in mentem, prohibere moram in his actibus, utpote qui sint & multis consulendi, illis scilicet, qui cum conscientia certa aut dubia peccati mortalis inchoaverunt sacrum, vel eo jam inchoato recordantur admissi,& longe plurimis perquam piis animis quodammodo naturales: & sicuti hodie frequentantur a permultis, nemine Superiorum reprehendente,ita etiam haud dubie fuerint a totidem ante Rubricas editas frequentati, non solum sine ulla per se indecentia, sed etiam admodum congrue & consentanee tanto mysterio. Censeo igitur, cavendam saltem in publico longam moram, permittendam brevem, scilicet tantam, quanta impenditur recitationi unius *Pater* & *Ave*, dicendumq; consuetudinem manifestam adeo multorum sufficienter interpretari, Rubricis non repugnare, quos nimis devotos nuncupat devotionis laude celebratus P. Dicastillo. Sane dum Rubricæ permittunt brevem Meditationem post Sumptionem Corporis Christi, videntur etiam permittere aliquam immediate ante, quia de similibus est simile judicium ferendum. Ita citatus Author. Poterit ergo quivis eam sententiam sequi, quam suæ devotioni & scopo magis opportunam judicaverit. Certe S. Franciscus Xaverius, ut in ejus vita habetur, Orationem bene longam pro Peccatoribus ante Communionem recitavit.

III. Dum cum Hostia signat seipsum, Crux non egrediatur limitas Patenæ, ne fragmenta cadent extra illam. Dum vero Calicē sumit, dextra illum dumtaxat movere debet, Patena & manu sinistra super Altare retenta, donec sumere

mere Sanguinem incipiat. Accipiat autem Calicem infra nodum; ut Rubrica dicit, neque Gavantum aut Bauldrium torte Rubricam de ipsa nodi acceptione explicantes sequatur.

IV. Quod si particula sacræ Hostiæ in Calicem immissa in fundo ejus hæserit; vel digito ad labium Calicis attrahenda erit, ut sumi queat: vel infundendum vinum, ut cum eo sumatur. Rubr.

V. Si pyxis aut aliud vas, in quo Hostiæ distributæ asservabantur, purificanda sint, Gavantus *p.2.tit.*10.*n.*7.ait,eam Purificationem ante Calicis Purificationem sic faciendam, ut collecta in fundo pixidis fragmenta indice dextræ manus sumantur, vinoque affuse penitus purificentur; alii tamen faciliorem putant esse praxin, si particulæ supra Patenam colligantur, & eodem indice parum per anhelitum humefacto sumantur; cavendum tamen est in hoc casu, ne hic digitus nimis madefiat, particulæque ille humori permixtę & Patenæ tenacius adhærentes non nisi cum gravi difficultate ac violentia avelli possint. Quæ omnia tamen ipsa praxis melius docebit.

TITULUS XXVI.

DE LAICORUM COMMUNIONE

Ritus Communis.

I. Regulariter facienda est, postquam Celebrans SS. Sanguinem sumpsit. Quia tamen multis permolestum est finem Communionis exspectare, maxime,si multi communicandi sint, tolerari potest,ut fiat post Missam. Gavant. *p.* 2. *tit.* 10. *litt. D.*

II. Non debet sine lumine fieri: hinc Suar. *d.* 72. *s.* 4. illum, qui sine lumine distribueret Eucharistiam, gravis peccati damnat: quod intelligendum est de omni lumine, nam licet soleat sub Sacrificio pro Communicantibus peculiare lumen accendi, ejus tamen omissio per se non continet ullam culpam, teste P. Gobat. n. 167.

III. Postquam Minister Confessionem generalem dixit, Calicem in parte sinistra Corporalis ponat, & palla cooperiat. Tum facta genuflexione ponat particulas consecratas in pyxide, vel si pauci sunt communicandi, in Patena; aut si

prius

prius jam in ſimili vaſe poſitæ fuerint, detegat illud, & iterum genufleċtens, manibuſque junċtis ſe ad cornu Evangelii retrahens, atque ad Populum communicandum vertens, dicat *Miſereatur veſtri, & Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum veſtrorum &c.* (etiamſi unica tantum Perſona ſit communicanda) & manu dextra Crucem ſuper eum faciat. Poſtea genufleċtens accipit manu ſiniſtra pyxidem vel Patenam cum Sacramento, dextra vero unam particulam, quam inter pollicem & indicem tenet, ac aliquantulum ſuper pyxidem aut Patenam elevans ad communicandos ſe convertit, dicitque: *Ecce Agnus DEI, ecce, qui tollit peccata mundi*. Deinde dicit: *Domine* (non addens *JESU Chriſte*, (ut aliqui interdum faciunt) *non ſum dignus, ut intres ſub teċtum meum; ſed tantum dic verbo. & ſanabitur anima mea*. Quibus verbis tertio repetitis accedit ad latus Epiſtolæ, & tribus digitis poſterioribus inflexis, & quaſi intra manum plicatis (ut Bauldrius p. 3. c. 8. notat) pollice & indice apprehenſa particula Crucem ſuper pyxidem vel Patenam faciat ſimul dicens: *Corpus Domini noſtri JESU Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam, Amen*. Nec addat Cruce iterum faċta: *Pax tecum:* niſi ſpecialiter id alicubi a Diœceſano Rituali exigatur. Omnibus Communicatis revertatur ad Altare, nihil dicens, nec dans eis benediċtionem, utpote quam in fine Miſſæ, quando repoſiturus eſt Ciborium in Sacratium, dabit. Aliqui dum Communionem peragunt, Purificatorium nodo Calicis circumdant, ut, ſi forte (ut non raro contingit) digiti particulam tenentes a Sumentium ore madefaċti eſſent, eoſdem Purificatorio applicatos detergere poſſent; ſed hæc praxis videtur minus decens, cum Purificatorio ad Sacrum Chriſti Sanguinem, aut certe vinum cum eo miſtum abſtergendum deputato non deceat profanorum hominum ſalivam abſtergere; & præterea cum frequens admodum eſſe poſſit ejuſmodi madefaċtio, in magna præſertim Communione, Purificatorium tale nimis madefieret: reċtius ergo eum in finem aliud linteum, quale in aliquibus Templis pro Purificatione digitorum in Altari cum aqua collocari ſolet, aſſumitur, aut alio modo incommodum hoc cavetur. Sed & illa quorumdam praxis, qui, quando eſt major Communicantium copia, Caſulam & Manipulum deponunt, non

eſt

est omnino Romano Rituali conveniens, utpote quod de Eucharistiæ Sacramento distribuendo agens, expresse ait: Si contingat absoluta Missa statim aliquos communicare, tunc Sacerdos adhuc *Planeta* indutus Sacram Communionem eo modo, quo supra dictum est, ministrabit. Sed licebit hic quoque receptam locorum consuetudinem sequi & Planetam cum Manipulo deponere, maxime, si pretiosior fuerit, & ponderosior: ne vel affrictu per communicandum lædatur, vel gratis Sacerdotem oneret, & impediat, præcipue æstatis tempore, in labore per se non facili, quando major scilicet est Communicantium copia. Nam quia etiam Rituale *aliquot* tantum dicit, videtur de paucioribus loqui, ut de magno numero nihil statuisse putandum sit. Pauciores autem communicantur, ut præscribitur.

IV. Si multi valde sunt communicandi, & difficile videatur grandiusculum Ciborium pollice & indice sinistræ manus tenere, eos disjungere poterit, modo prius eosdem aqua abluat, aut certe ore lambendo purget. Rituale Augustanum. *c.* 12. *num.* 5.

V. Si Communio facienda sit extra Missam, Romanum Rituale præcipit, ut Sacerdos Superpelliceo & Stola indutus coloris officio illius diei convenientis accedat ad Altare, parum oret, & tum extracto Venerabili reliqua de more peragat. Ubi vero omnes communicaverint, reversus ad Altare dicere poterit Antiphonam *O Sacrum Convivium* cum Versibus *Panem de cœlo &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiscum &c.* & Orationes: *DEUS, qui nobis sub Sacramento mirabili &c.* quæ tamen Preces a paucis, saltem clara voce, recitantur.

VI. Denique quia non raro evenit, ut Sacerdos post peractam Communionē Reliquias aliquas ex particulis distributis relictas reperiat, & propterea non pauci turbantur, nescientes, quid cum iisdem incipere debeant, ideo ut in hoc etiam casu sciat Sacerdos se cito resolvere, sequentes tres Regulæ a bonis Authoribus traditæ ei servire poterunt. Prima Regula: *Quoties Reliquiæ sive parvæ, sive magnæ ex eodem Sacro relictæ deprehenduntur, etiam post ablutionem sumi possunt:* Ita Rubr. §.8. de defect. Miss. n.2. quia pertinent ad idem Sacrificium. Secunda Regula: *Quoties particula commode*

mode asservari non possunt, licite sumuntur non tantum in Altari post ablutionem, aut Communionem etiam bene longam finito primum Sacro factam, sed etiam post regressum in Sacristiam vestesque Sacras exutas, sive ex eodem sive ex diversis Sacris sint relicta. Ita idem P. Gobat. *loc. cit. n.* 422. cum Lugone Suar. Palao, Bonac. & aliis. Quia in tali casu præceptum de irreverentia cavenda præferendum est præcepto de Eucharistia a jejuno sumenda. Tertia Regula: *Quoties Reliquiæ ex alieno Sacro sunt relicta, & sine periculo irreverentiæ asservari possunt, rectius asservantur*: Ita Suar. Tannerus & alii apud P. Gobat. *d. c.* licet ibidem Palao & Bonac. doceant, consultum quidem, non tamen necessarium esse, ut hoc fiat.

VII. Quæres, *quid faciendum sit, si particula, uti non semel contingit, in terram, linteum substratum, vel etiam inter vestes mulierum cadat?* ℞. Si solummodo in terram vel linteum cadant eæ particulæ, tum reverenter tollendæ, locusque Strophiolo aut alia re tegendus, & postea abluendus est, aqua in piscinam Sacram effusa. Si vero in barbam, vel vestem, aut etiam intra vestem, ut cum feminis accidere potest, cecidit fragmentum sacræ Hostiæ (par videtur esse ratio cum integra particula, quæ Communicantibus dari solet) tum reverenter quidem manu Sacerdotis, quoad usque per honestatem & decentiam licebit, tollendum, quod cecidit: aut si gravis perturbatio Communicantis, maxime feminæ, & offensio aut scandalum adstantium timeatur, manu ipsius quoque Communicantis, sive viri sive feminæ reponendum in Ciborio, quod ex casu receptum est. Si neutrum fieri possit, relinquatur, & si per accidens Particula, quæ cecidit, deperdatur, DEO & Angelis commendetur, inquit Tamburinus apud P. Gobat. *n.* 799. maxime, si parvi fragmenti casus, & soli Sacerdoti cognitus, videatur sine prædictis incommodis (quæ certe regulariter accidunt) emendari non posse; committi DEO res debet, & nihil fieri. Postquam vero viri vel feminæ, in casu prædicto, sacram particulam sive totam, sive ejus fragmentum qualecumque, manu attrectaverint, reposuerintque suo loco, digitos ad id genus Ministerii adhibitos abluent, & ablutio in sacram piscinam mittenda erit: vestis autem, aut barbæ ablutio maxime præcipienda, uti cum P. Simone Felice, Tambur. & aliis docet P. Gobat. *n.* 798.

n. 798. melius enim est, inquit Tambur *l.* 2. c. 8. §. 8. vitare turbationem Fidelium, quam Rubricarum apicem ejusmodi cautelas præcipientem observare.

Ritus Solemnis.

I. Post Sumptum a Celebrante Sanguinem, Diaconus Calicem versus cornu Evangelii collocatum cooperit, & facta cum Subdiacono genuflexione ipse ad cornu Epistolæ, Subdiaconus vero ad cornu Evangelii vadit; ibique in infimo gradu vel plano consistunt.

II. Dum Diaconus profunde inclinatus, stans tamen, in tono præscripto *Confiteor* cantat: Celebrans ad cornu Evangelii se retrahens, & facie ad eumdem Diaconum versa consistens, post finitam Confessionem *Misereatur & Indulgentiam* dicit, Subdiacono a tergo ipsius etiam stante.

III. Dicto a Celebrante *Indulgentiam* Diaconus respondet *Amen*, & mox vadit ad dextram; sicut Subdiaconus ad sinistram Celebrantis, factaque genuflexione Ciborium aperit, & coram Celebrante ponit, moxque facta iterum genuflexione mutat locum cum Subdiacono, & accepta secum Patena (si ejus sit usus futurus sub Communione) ad dexteram Celebrantis se sistit, & dum Celebrans alios communicat, Patenam mento supponit, si ita consuetudo ferat: alioqui enim Gavantus *l. c.* ait, hanc Cæremoniam, utpote Episcopo tantum convenientem non usurpandam esse.

IV. Etsi vero Rubrica dicat, ablutionem Clericis a Diacono dandam, hoc tamen passim non observatur, sed ea ab Acolythis datur, ut Diaconus Celebranti assistere possit.

V. Finita Communione, Diaconus cooperit Ciborium, illudque in loco constituto cum genuflexione ante & post facta reponit. Postea ad sinistram Celebrantis redit, eique de libro ministrat.

TITULUS XXVII

DE PURIFICATIONE ET ABLUTIONE

Ritus Communis.

I. PUrificationem distingui ab Ablutione recte notat Tãbur. *l.* 3. *c.* 9. apud & cum P. Gobat. *n.* 852. quia *Purificatio* ad Calicis & Celebrantis elutionem spectat, atque adeo abs-

absque peccato non potest fieri per solam aquam (nisi in casu, quo tam parum vini adesset, ut sufficeret pro sola consecratione) cum Rubrica expresse dicat: *Infundi parum vini quo se purificat*, *ablutio* vero ad digitorum ablutionem pertinet, & juxta Rubricas vino simul & aqua facienda est: sic enim illæ loquuntur *tit.* 10. *n.* 5. *Super Altare porrigit* (Celebrans) *Calicem Ministro, quo vinum fundente se purificat: deinde vino & aqua abluit pollices & indices.* Unde licet infra in ordine Missæ Rubrica simpliciter dicat abluendos digitos, non exprimens, quod aqua & vino fieri debeat: & inde Neotericus quidam Theologus contendat sine piaculo aquam in digitorum ablutione omitti posse, hæc tamen posterior Rubrica per priorem explicanda est: atque adeo, sicut citatus Author asserit in prima infusione vini & aquæ in Calicem aqua omitti non posse, eo quod Rubrica clare præcipiat, vinum & aquam infundi: ita cum pari modo eadem Rubrica cit.tit. 10. expresse dicat, ablutionem digitorum vino & *aquam* faciendam esse, merito quoque negatur, aquæ affusionem pro libitu Celebrantis omitti posse.

II. Dum Purificationem & Ablutionem sumit, si non infundit quantitatem æqualem speciebus, saltem circumagat vinum in Calice, neque extra Altare demittat Calicem (nisi Ministri parva statura id exigat) neque ad infusionem pro purificatione digitis labia Calicis, aut oris sui detergat, (id quod aliqui imperite faciunt, cum pollicem & indicem utpote adhuc conjunctos ante ablutionem numquam disjungere oporteat, nisi cum sacra Hostia tangenda est) neque digitos lambat, uti Gavant *p.* 2. *tit.* 10. *lit. T.* ex litteris Pii V. fieri non debere ostendit, ubi etiam addit, Ablutionem per eamdem viam, qua haustus est sanguis, sumendam esse, & pro Sanguine quidem sumendo Calicem non sæpius quam ter, pro Purificatione vero & Ablutione non sæpius quam bis (in singulis) ori admovendum esse.

TITULUS XXVIII.

DE COMMUNIONE ET POSTCOMMUNIONE

Ritus Communis.

I. Dicuntur semper Communio & post communio, excepto Sabbato sancto, ubi Vesperę illarum loco cantantur.

II. Pe-

II. Peracta Cômunione propria & Populi, si opus sit, Calicem ita vestit, & in Altari collocat, ut in anteriori parte totus tegatur, bursæque pars aperta ipsum Celebrantem respiciat, uti ab initio Missæ factum est, eo quod hæc dispositio non careat suo mysterio, nam sicut ad Offertorium velum removetur a Calice, ut Calix videatur a Populo, quia tunc manifeste Passio Christi repræsentatur; ita finita hujus repræsentatione rursus velandus est Calix, ne videatur, sicut ante Offertorium factum est, uti recte Gavant. *p.* 2. *tit.* 10. *&* 16. Bauldrius & alii monent contra Gerlacum & alios nonnullos.

III. Dum corporale complicat, Gavantus *l.* 2. *litt. B.* ait, Calicem in cornu Epistolæ collocandum, ut Bursa, quæ est ex parte Evangelii, commodius accipiatur, quod idem etiam Corsettus & Bauldrius monent; verum quia Rubricæ de hoc situ nihil præscribunt, & plerique Sacerdotes illum ex parte Evangelii ponunt, poterit quivis in hac parte facere, quod ipsi commodius videtur.

IV. Antequã a medio ad cornu Epistolę accedit, non omittit solitam Cruci reverentiam facere; tum legat Communionem & reliqua more consueto peragat, Bauldrius *p.*3.*c.*5.*n.*5.

V. Quando claudendus est liber, facit id dextra manu, ut pars clausa Calicem respiciat. Gavant. *litt. F.* Si vero necessarius est liber pro ultimo Evangelio legendo, eo finito, ita claudendus erit ut pars clausa respiciat cornu Evangelii, non Calicem, quod conformiter principiis Gavanti monet quidem Corset. *Tract.*2.*p.*1.*sect.*1.*n.*34. Sed quia de neutro claudendi librum modo Rubrica quidquam statuit, dari aliquid iterum poterit consuetudini receptæ: maxime quia ordinarie, quocumque modo claudatur, dextræ quoque, quam ad hoc Officium Gavantus requirit, ministerium concurrit.

VI. Non tamen claudendus est liber, nisi finita Conclusione ultimę Orationis. Hinc errant, qui indecore properantes librum claudunt ante finem Conclusionis, eamque accedendo ad medium Altaris absolvunt, Gerlac. *p.* 2. *tit.*11. §. 1.

Ritus Solemnis.

I. Post sumpta ablutionem non purgat ipse Calicem: nec vestit, sed Subdiacono id Officium relinquit.

II. Etiam

II. Etiam librum post dictas omnes Orationes non ipse claudit, sed Cæremoniarium id facere sinit.

TITULUS XXIX.

DE BENEDICTIONE

Ritus Communis.

I. SEmper datur Benedictio, præterquam in Missis Defunctorum.

II. Cum dat Benedictionem, simplicem Crucem super Populum stans in medio Altaris facit; etiamsi a latere & a tergo aliqui circumstarent, aut flecterent, Gavant. *tit.* 12. *lit.* *Y.*

III. Si Venerabile Sacramentum sit expositum, dicto *Omnipotens Deus*, flectit genu, & postquam a latere Evangelii benedixit, non redit ad medium Altaris, sed in eodem latere se ad Altare vertit, Gavant. *tit.* 14. *n.* 15. Arnaudus *in appendic. n.* 11. Bauldrius *p.* 4. *c.* 26. *n.* 12. Corsettus *p.* 1. *c.* 15. *n.* 12. Gerlacus Vinitor *p.* 4. *tit.* 4. *n.* 18. quia cum tantum ideo non perficere circulum debeat (uti in communi Missa fieri solet) ne terga Sacramento obvertat; hæc autem tergi obversio satis caveatur, si dicto modo se in latere dextro vertat, non apparet ulla ratio aut necessitas, cur ad medium redeat & genuflectat; uti nonnulli faciunt Arnaudi pro se authoritatem citantes, qui tr. 1. p. 4. tit. 8. n. 8. habet hæc verba: *In fine ad benedictionem a latere Evangelii, neque perficit circulum, sed revertitur ad medium, ne terga vertat Sacramento*: Sed hic textus neutiquam obstat, quia in primis non dicit, in medio genuflexionem faciendam esse: deinde vero in appendice cit. ubi ex instituto de hac materia agit, seipsum declarans hæc verba habet: *In Benedictione Populo danda dicto* Omnipotens DEUS *genuflectit Celebrans, & in latere Evangelii benedicit: non perficit circulum, neque in medio genuflectit, sed in eodem latere conversus statim ad altare signat librum seu tabellam Evangelii ultimi, non Altare.*

TITULUS XXX.

DE EVANGELIO ULTIMO

Ritus Communis.

I. SEmper dicitur; & quidem plerumque S. Joannis nisi Domi-

Dominica aut Feria major a Festo, cui illa cedere debet, impedita occurrat (excipe Dominicam quartam Adventus, si Vigilia Nativitatis in eam cadat, Palmarum, & Vigilias in Quadragesima & Quatuor Temporibus occurrentes) aut pro primo Evangelio id sit dictum, ut in tertia Missa Nativitatis Domini contingit.

II. Si in Dominica aut Feria Majori Missa votiva pro re gravi dicitur, semper dicitur Evangelium S. Joannis, omisso Evangelio Dominicæ aut Feriæ. Rubrica hic *n.* 2.

III. Si libro non utatur, Altare signat ad *Initium Evangelii*: sed hoc non facere debet, si Venerabile Sacramentum sit expositum, tunc enim non decet Altare (secus est de libro aut tabella sentiendum) quod ipse Auctor Benedictionis ei insistens benedicit, ab homine benedici. Gavant. *ti.* 14. *n.*15.

IV. Si Venerabile Sacramentum prostet, aliqui Arnaudum tit. 12: n. 9. & Bauldrium p. 3. c. 26. n. 12. secuti, ad illa verba: *Et Verbum Caro factum est*: parum ad illud conversi genuflectunt; sed cum neque Rubricæ in Feria V. Cœnæ Domini (ubi diligenter Cæremonias in Missa coram Venerab. Sacramento celebranda adhibenda explicant) neque Gavantus, qui & ipse easdem Cæremonias toto titulo XIV. accurate explicavit: hujus conversionis meminerit, potuerit ea cum multis sine scrupulo omitti.

TITULUS XXXI.

DE REGRESSU AD SACRISTIAM

Ritus Communis.

I. NOn extinguendæ sunt Candelæ ante finitum Evangelium, & tum initium fieri debet ab iis, quæ ad cornu Evangelii sunt accensæ. Arnaud. *tit.* 12. *num.* 4. Bauldr. *tit.* 12. *n.* 6.

II. Quando redit ad medium Altaris, finito Evangelio, facit Cruci reverentiam, antequam descendat ad planum; in ipso vero plano facit iterum reverentiam convenientem Altari vel Sacramento.

III. In recitatione Hymni trium Puerorum Antiphona duplicatur in Duplicibus & iis Missis, quæ ritu Duplici, id

 est,

est, sub una Oratione celebrantur, ut sunt Missæ vel votivæ solemnes, vel pro re gravi &c. tempore Paschali insuper *Alleluja* additur. Gavant. *p.* 2. *tit.* 12. *litt. l.* & *tit.* 1. *lit. C.* In Missis quoque Defunctorum sub una Oratione dictis Antiphona duplicatur, & *Alleluja* additur tempore Paschali: quia hoc sequitur Officium, non Missam Gerlac. *p.* 2. *tit.* 1. §. 9.

IV. Ubi ad Sacristiam redierit, facit iterum Cruci reverentiam & vestes retrogrado ordine exuit, osculando omnes, quas dum induebat, osculatus est, ut vult Gavantus *p.* 2. *tit.* 12. *litt. L.* Perquam autem studiose caveat, ne, morem secutus quorumdam valde indecorum, solvere incipiat ligāina Casulæ adhuc in itu ad locum, in quo sacras vestes deponat.

Ritus Solemnis.

I. Quando post Missam solemnem redit ad Sacristiam, facit ibi *ante gradum* profundam reverentiam Cruci, Ordo Roman. & Bauldrius *p.* 3. *de ritu cel. tit.* 12. *n.* 6.

TITULUS XXXII.

Compendium supra Dictarum Cæremoniarum.

HActenus plerasque Cæremonias tam in Solemni, quam privata Missa adhiberi solitas explicavimus. Quia vero experientia docuit, non parum memoriam ad eas retinendas juvari, si quæ ejusdem sunt Classis, sub uno titulo repræsententur, placuit & hoc subsidio Tirones non fraudare. Cum autem ad quatuor fere genera omnes Cæremoniæ revocari possint, scilicet ad Corporis inclinationes, ad manuum, & ad oculorum situm, & tandem ad vocis inflexionem, hic ipse quoque ordo in iis enumerandis hoc loco retinendus est visus.

§. I.
De Corporis Inclinationibus.

QUadruplex est inclinatio Corporis, quæ in Missa adhiberi solet, scilicet Genuflexio: Profunda, per quam medium corpus inclinatur) & Humerorum, & capitis inclinatio;

Genu-

Genuflexio facienda est.

1. Quando transit, vel accedit, vel recedit ab Altari, ubi asservatur Venerabile Sacramentum.
2. Ante, quam dicat ingressum in Altari, ubi est SS. Sacramentum.
3. Quotiescumque in Epistola, Tractu, aut Evangelio ad marginem imperatur genuflexio.
4. In Symbolo ad *Incarnatus est*.
5. Quoties ab Elevatione movet Hostiam aut Calicem, ante & post facit genuflexionem.
6. In fine Evangelii S. Joannis ad *Verbum Caro factum est*.
7. Quando accedit vel recedit e medio Altaris, ubi expositum est SS. Sacramentum.
8. Quando transit Altare, ubi Consecratio, non tamen sumptio peracta est.
9. Ad *Flectamus genua* in Missis quatuor Temporum privatis; si enim adest Diaconus, hic, & non Sacerdos genuflectit.

Profunda, seu medii Corporis inclinatio facienda est.

1. Quando a loco Paramentorum recedit.
2. Quando ad Altare quodcumque accedit, vel recedit; vel ante Altare majus, aut in quo est insignis Reliquia Sancti, de quo Festum celebratur, transit si non sit in talibus Altaribus SS. Sacramentum.
3. Quando a medio Altaris ad librum accedit in cornu Epistolæ aperiendum. Ita Gavant. *p.* 2. *tit.* 2. *litt. R.* Bauldrius *p.* 3. *c.* 5. *n.* 5.
4. Quando inde iterum ad medium rediens ad infimum gradum descendit.
5. Ante, quam principium Missæ dicit ad infimum gradum Altaris, ubi non est SS. Sacramentum.
6. Ad *Confiteor*.
7. Ad *Munda cor meum*.
8. Quando ad cornu Epistolæ vinum & aquam in Calicem infusurus, aut manus lavaturus accedit, iterumque ad medium redit.
9. Ad *Te igitur Clementissime Pater*.

10. Ad *Supplices Te rogamus* post Elevationem. NB.
11. Ad Sumptionem Corporis Christi.
12. Quando post Sumptionem Specierum a medio accedit ad cornu Epistolæ pro Communione dicenda.
13. Quando post ultimum Evangelium ad medium accedit ad planum descensurus.
14. Quando ab illo plano recedit.
15. Quando in Sacristiam ad locum Paramentorum redit:

Humerorum inclinatio facienda est:

1. Ad *DEUS tu conversus*.
2. Ad *Adoramus te Domine per merita:*
3. Ad *In spiritu humilitatis &c.*
4. Ad *Suscipe SS. TRINITAS.*
5. Ad *Sanctus* usque ad *Benedictus* exclusive:
6. Ad *Agnus DEI* juxta Ordinem Missę. *Et orationes sequentes.*
7. Ad *Domine, non sum dignus.*

Capitis inclinatio facienda est.

1. Ad *Gloria Patri*, in Psalmo *Judica*.
2. Ad *Gloria Patri* in introitu; sed hæc inclinatio versus Crucem fit.
3. Ad *Gloria in excelsis*, cum dicit, *DEO*, *Adoramus*, *Gratias agimus*, *ad JESU Christe*, *Suscipe deprecationem:*
4. Quotiescumque dicit *Oremus*, inclinat caput versus Crucem, nisi jam ante habeat inclinatum; quod idem fit, quando S. Nomen JESU pronuntiat extra Evangelium; ibi enim si proferatur; versus librum Evangelii fit inclinatio.
5. Cum profertur Nomen MARIÆ, aut Sancti, de quo celebratur Missa, aut fit specialis Commemoratio, aut Papę.
6. Ad *Credo*, cum dicit, *in unum DEUM*, *JESUM Christum*, *adoratur*.
7. Ad *Gloria Patri* in Psalmo *Lavabo*: quæ inclinatio etiam fit versus Crucem.
8. Ad *DEO nostro*, cum dicit ante Præfationem, *Gratias agamus* NB.
9. Dum facit Memento pro Vivis. NB.

10. Ad

10. Ad *Tibi gratias agens* ante consecrationem panis & vini, item sub ipsa Consecratione utriusque.
11. Ad *per Christum Dominum nostrum*, post Memento pro Defunctis. NB.
12. Ad *Humiliate capita vestra DEO* in Quadragesima.
13. Ad *Placeat*, & Benedictionem, cum dicit *Omnipotens DEUS*.

Ne in his inclinationibus enarrandis contra Rubricas me peccasse quis suspicetur, dum v.g. ad *Agnus DEI* illæ dicunt, *caput* tantum inclinandum, ego vero inter Humerorum inclinationes eam posui. Item ad *supplices Te rogamus* tantum *inclinatum* volunt esse Celebrantem, cum tamen ego profundam inclinationem exigam; meminerint non ad unam me Rubricam attendisse, sed plures, quarum una explicet aliam; hinc quia Ordo Missæ jubet Celebrantem inclinatum *Agnus DEI* dicere, & ad *Supplices Te rogamus profunde inclinatum* esse, hoc autem fieri non posset, si verba Rubricarum cit. ut jacent, intelligerentur, recte posterior Rubricarum in Ordine Missæ positarum sensus priorem explicare dicitur. Simili modo cum in Consecratione utriusq; speciei celebrans *capite tantum inclinato* verba Consecrationis proferre jubetur, intelligitur hoc, si Altare sit tam altum, ut celebrans cubitos simul Altari imponere, & tamen non nisi inclinato capite stare possit. Si enim Altare tam humile sit (uti plerumque contingit) ut celebrans non possit cubitis se Altari inclinare, quin humeros, vel totum corpus inflectat, per accidens eam Cæremoniam mutare cogitur.

§. II.

De Manuum Cæremoniis.

HArum diversi motus & situs in Sacrificio adhibentur: nam quandoque Celebrans iisdem Crucem supra se facit, quandoque supra alia, quandoque pectus percutit, quandoque extensas, junctas supra Altare, ante faciem tenet, uti ex dicendis apparebit.

Seipsum Cruce signat.

1. Ad initium Missæ dicens *Adjutorium*, *Indulgentiam*.
2. Ad Introitum extra Missam Defunctorum: in hac enim manu supra librum facit in aere Crucem.

 3. Ad

3. Ad finem Hymni Angelici.
4. Ad initium utriusque Evangelii signat se, & librum, vel si hic non adsit, tabellam aut Altare minore Cruce, quæ tamen Crux minor super Altare non formatur, quando in ea prostat Venerabile Sacramentum.
5. Ad finem Symboli.
6. Ad *Benedictus, qui venit.*
7. Ad *Supplices Te rogamus*, quando dicit, *Omni benedictione repleamur.*
8. Ad *Libera nos*, quando dicit: *Da propitius pacem.*
9. Ad Sumptionem Corporis & Sanguinis signat se Hostia & Calice.

Calicem & Hostiam signat.

1. Ad *Veni Sanctificator.*
2. Ad initium Canonis, cum dicit: *Hæc dona.*
3. Ad *Qui pridie*, cum dicit: *Benedixit.* Item cum eamdem vocem paulo post ante Consecrationem Calicis repetit.
4. Post Consecrationem, dum dicit: *Hostiam puram.*
5. Ad *Supplices Te rogamus* cum dicit: *Corpus & Sanguinem.*
6. Ad *per quem hæc omnia*, dum dicit: *Sanctificas.*

Manus junctæ tenentur.

1. Quando accedit ad librum aperiendum, & recedit.
2. Quando descendit ad gradum infimum.
3. Quando dicit ingressum, & eo dicto ascendit ad Altare.
4. Dum a medio Altaris ad cornu Epistolę accedit & recedit.
5. Dum dicit *Kyrie* & Hymnum Angelicum.
6. Dum vertit se ad dicendum *Oremus.*
7. Ad *Munda cor meum.*
8. Quando dicit Evangelium, Symbolum, Offertorium.
9. Ad *in Spiritu humilitatis*, & *Suscipe* SS. TRINITAS.
10. Ad *Sanctus* & utrumque *Memento.*
11. Ad *Supplices Te rogamus.*
12. Ad *Oremus* ante Orationem Dominicam usque ad hujus initium.
13. Ad *Agnus DEI* in Missis Defunctorum.
14. Ad Orationes ante Communionem.
15. Ad pausam post sumptionem Hostiæ.
16. Ad Communionem.

17. Ad

17. Ad *Placeat* & ultimum Evangelium.
18. Ad *Per Dominum nostrum* in omnibus Collectis.
19. Antequam alios, vel Hostiam, aut Calicem benedicat, nisi altera manus in tenenda Hostia aut Calice sit occupata. NB.

Manus extensas tenet.

1. Ad Collectas omnes per Missam.
2. Ad *Sursum corda*, & *Vere dignum &c.*
3. Ad Canonem usque ad *Hanc igitur oblationem*, excepto Memento.
4. Post Consecrationem usque ad *Per quem hæc omnia*, excepto Memento pro Defunctis, & *Supplices Te rogamus*.
5. Ad Orationem Dominicam.

Manus elevat & jungit.

1. Ad *Gloria in excelsis*, & *Credo*.
2. Ad *Veni Sanctificator*.
3. Ad *Sursum corda* & *Gratias agamus* in Præfatione.
4. Ad initium Canonis.
5. Ad Memento utrumque. NB.
6. Ad Benedictionem Populi.

Manus sine Elevatione jungit.

1. Quoties dicit *Oremus*.
2. Quando ad Populum dicit *Dominus vobiscum*.
3. Ad Clausulam *Per Dominum*, vel, *per Christum Dominum*, vel si Oratio claudatur per *Qui vivis* aut *vivit*, cum dicit in *Unitate*.
4. Ad *Orate Fratres*, & *Sanctus*.
5. Post Consecrationem, quando dicit *de tuis donis*.
6 Ad *Supplices Te rogamus* & quando dicit: *Sacrosanctum Filii tui Corpus*.

Manus junctas super Altare tenet.

1. Ad *Oramus te Domine per merita*.
2. Ad *In Spiritu humilitatis*.
3. Ad *Suscipe SS.* TRINITAS.
4. Ad initium Canonis.

5. Ad *Supplices Te rogamus.*
6. Ad Orationes ante Communionem.
7. Ad *Placeat tibi* SS. TRINITAS.

Manus extensas super Altare ponit.

1. Quoties osculatur Altare.
2. Ad *Per omnia sæcula sæculorum* ante Præfationem & Orationem Dominicam.
3. Quando legit Epistolam ex Missali, & manum libro non applicat.

Manum sinistram super Altare ponit.

1. Quoties super Calicem aut Hostiā Cruces manu dextra facit, & sinistra Calicem aut Hostiam tenere non debet.
2. Ad *Libera nos quæsumus.*
3. Ad *Agnus DEI*, dum altera manu pectus percutit.
4. Dum porrigit Calicem ad infundendum vinum.
5. Dum facit Crucem super Altare ad initium Evangelii S. Joannis. NB.

Manum sinistram pectori admovet.

1. Quoties seipsum signat Cruce.
2. Quoties aliis benedictionem impertit.
3. Quando sub *Confiteor* ad *mea culpa* pectus percutit.

Manu pectus percutit.

1. Ad *Mea culpa* sub Confiteor.
2. Ad *Nobis quoque peccatoribus.*
3. Ad *Agnus DEI*, extra Missam Defunctorum.
4. *Domine non sum dignus.*

§. III.

De Oculorum Cæremoniis.

ET horum diversæ sunt Cæremoniæ in Missa adhiberi solitæ: quandoque enim elevari, quandoque deprimi, quandoque in Cruce aut Hostia defigi debent.

Oculi elevandi sunt.

1. Ad *Munda cor meum.* NB.
2. Ad *Veni Sanctificator.*

3. Ad

3. Ad Oblationem Hostiæ & Calicis, sed cum hoc discrimine, ut in oblatione Hostiæ Celebrans mox demittat oculos, in oblatione Calicis ad DEUM erectos teneat NB.
4. Ad *Suscipe SS. TRINITAS*.
5. Ad *Te igitur Clementissime*.
6. Ad *Gratias agamus*, dum dicit *DEO nostro*. NB.
7. Ad *Qui pridie*, dum dicit *& elevatis oculis*.
8. Quando Hostiam & Calicem elevat: nam hic erectos tenet, donec Hostiam & Calicem deponat iterum.
9. Ad *Benedicat vos Omnipotens*.

Oculos demissos tenet.

1. Dum ex Sacristia procedit ad Altare, & iterum regreditur.
2. Quando dicit ad Populum *Dominus vobiscum*, ac *Orate fratres*.
3. Quando Hostiam offert.
4. Quando facit Memento pro Vivis. NB.
5. Quando recitat Orationes post Consecrationem, aut facit Memento pro Defunctis, tunc enim oculi ad Hostiam convertendi sunt, nisi ex libro Preces recitet.
6. Quando dat Benedictionem populo in fine Missæ.

§. IV.

De Vocis Elevatione.

Triplex in Missa vox adhibetur, Alta, Media, Submissa.

Alta voce dicuntur.

1. Ingressus, Introitus, *Kyrie*, *Gloria in Excelsis*.
2. *Dominus vobiscum*, *Oremus*, Collectæ, Epistola, Graduale,
3. Evangelium, Symbolum, Offertorium. Præfatio.
4. Oratio Dominica, & *per omnia sæcula sæculorum* præcedens & subsequens. *Pax Domini*.
5. *Agnus DEI*, Communio, Post communio, *Ite Missa est*, Benedictio & Evangelium S. Joannis.

Media

Media voce dicuntur

1. *Orate Fratres.*
2. *Sanctus*, & quæ sequuntur usque ad Canonem.
3. *Nobis quoque peccatoribus.*
4. *Domine non sum dignus.*

Submissa voce dicuntur

I. Omnia, quæ vel alta, vel media voce non dicuntur. In Missa solemni omnia, quæ non cantantur, & alioqui in Missa privata alta voce dicuntur, uti Rubrica *p.* 1.*tit.* 16. *n.* 3. expresse monet.

Memoriter dicenda sunt

In rigore sequentia dumtaxat.

1. Preces ad vestium assumptionem, ac manuum lotionem recitandæ.
2. Psalmus *Judica* cum reliquis Precibus ad initium Missæ dicendis.
3. Preces, quæ pro benedictione thuris, & sub incensatione dicendæ sunt.
4. Benedictio supra Diaconum facienda.
5. *Per Evangelica dicta &c.* post Evangelium.
6. Canticum *Benedicite* post sacrum pro gratiarum actione dicendum cum subsequentibus precibus. Reliqua enim absolute loquendo possunt ex Missali aut Tabellis in Altari poni solius legi. Rectius tamen faciet Sacerdos, si pro majori in Cæremoniis exercendis libertate & facilitate, etiam sequentia memoriter discat:

1. *Munda cor meum.*
2. *DEUS, qui humanæ substantiæ &c.*
3. Psalmum *Lavabo.*
4. *Sanctus* usque ad *benedictionem* inclusive,
5. *Agnus DEI.*
6. *Domine, non sum dignus.*
7. *Corpus Domini nostri.*

8. *Quid*

8. *Quid retribuam.*
9. *Sanguis Domini nostri.*
10. *Quod ore sumpsimus.*
11. *Corpus tuum Domine.*

TITULUS XXXIII.

DE TONO MISSARUM.

I. Cum nihil fere magis cordi habeat Ecclesia, quam ut uniformitas in Cæremoniis observetur, iis maxime, quæ publice exercentur, & in Oculos ac Aures præsentium cadunt, ideo merito non certos tantum pro Sacrificio, aliisque Officiis divinis Ritus, sed similes etiam pro tono & cantu moderando formas præscripsit; quæ quidem accurate plerumque in ritualibus Diœcesanis, aliisque ejusmodi libris describuntur; quia tamen juniores Clerici & Sacerdotes ejusmodi libros non semper ad manum habent, ideo in eorum gratiam ea saltem, quæ circa ejusmodi Tonos tum generaliter, tum spiritualiter in Missis Solemnibus observanda sunt, breviter etiam hoc loco indicabo.

II. Primo itaque sciendum, quod Toni nomine hic aliud nihil intelligatur, quam *sonora & articulata vocis efformatio*, quæ, quia duplici modo, simplici scilicet, & modulato fieri potest; ideo Tonus quoque in genere spectatus in Simplicem & Modulatum dividitur.

Simplex dicitur, qui sine morosa vocis tractione perficitur, ita, ut omnes quodammodo soni syllabarum inter se distincti, & nullo vinculo connexi videantur; & talis in Missis privatis circa ea, quæ alta voce dicenda sunt, adhibetur, de quo proin recte Rubrica p. 1. tit. 16. num. 2. monet, Sacerdoti maxime curandum, ut ea, quæ clara voce dicenda sunt, distincte & apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit, quæ legit: nec nimis morose, ne audientes tædio afficiat: neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui in eadem fortasse Ecclesia tunc temporis celebrant; neque tam sub-

missa,

missa, ut a Circumstantibus audiri non possit; sed mediocri & gravi, quæ & devotionem moveat, & audientibus ita sit accommodata, ut, quæ leguntur, intelligant. Quæ vero Secreta dicenda sunt, ita pronunciet, ut ipsemet se audiat, & a Circumstantibus non audiatur.

Modulatus est, qui varia vocis inflexione & tractione constat, ita, ut soni syllabarum non quasi vinculo inter se colligati videantur; & hic in choralem & Figuratum subdividitur. Choralis est, qui uniformem in suis Notis mensuram servat. Figuratus est, qui diversam figuratum quantitatem juxta varia præscripta signa exprimit; atque hic ad Musicos præcipue spectat, ille solus a Sacerdotibus, aliisque Ministris in solemni quocumque Officio Ministrantibus usurpatur, de quo proin etiam solo, hoc loco nobis sermo erit.

III. Secundo sciendum est, tres plerumque in Cantu Ecclesiastico Notas adhiberi.

Prima brevis vocatur, & hac figura exprimitur ■ cui subjecta syllaba ita profertur, ut in canendo tempus unum insumatur.

Secunda semibrevis dicitur, & sic figuratur ◆ unde & syllaba ei subjecta celerius est percurrenda, ut dimidium unius temporis impendatur.


Tertia longa est, quæ sic exprimitur, & paulo tardius profertur, ita ut in Cantu unum tempus & dimidium insumatur. His notatis:

IV. Primus Tonus in Missa solemni observandus est ille, qui in Hymno Angelico seu *Gloria in excelsis* observari debet, de quo tamen, quia accurate in Missali expressus est, & in quinta parte etiam breviter indicabitur, nihil speciale hoc loco notandum occurrit.


V. Secundus est, qui in Orationibus adhibetur, & juxta Cæremoniale Episcoporum l. 1. c. 27. in Solemnem seu Festivum, & Simplicem seu Ferialem dividitur. Festivus

est,

est, qui duas habet variationes; quarum prima fi per duas Notas descendendo; & redeundo ad eumdem Tonum, ut in adjectis lineis patet.



Et hæc variatio, quæ in antiquis Directoriis Punctum principale vocatur, in medio circiter Orationis, seu illa periodo, quæ gemino puncto clauditur: & præterea in clausula Orationis, cum canuntur illa verba: *in Unitate Spiritus Sancti DEUS*: adhibetur. Secunda variatio Semipunctum in memoratis Directoriis appellatur, & fit per unam Notam descendendo, uti pariter in adjecta scala videre est.



Et hæc variatio adhibetur, quando post primam variationem Orationis sequitur alia, quæ constat duobus Punctis, vel Puncto & Commate, ut Cæremoniale l. c. habet: vel certe duobus Commatis, quorum primum perfecte absolutum sensum habeat, uti Rituale Augustanum fol. 558. practico exemplo docet. Utraque hæc variatio in adjecto schemate clarius patebit.



tuæ



tu æ miracu la e ti am in ſexu fragili



vi cto ri am marty ri i contu li ſti:



concede pro pi ti us; ut qui be a tæ



Catha ri næ Virginis & Martyris tu æ



na ta li ti a co li mus, per ejus ad te

exem-



exempla gradi a mur. Per Dominum noſtrũ



JESUM Chriſtum Fi li um tu um, qui



tecum vi vit &regnat in u ni ta te



Spiritus ſancti DEUS per o mni a




ſæ cu la ſæ cu lo rum.


Quod

Quod si vero Oratio ita brevis sit, ut post Punctum principale non nisi unica constructio sequatur, tunc hoc Semipunctum omnino omittitur, uti apparet in Oratione de S. Callisto 14. Octobris. Quod si vero interdum bis duo Puncta in Orationis medio ante Semipunctum ponantur, uti in Oratione de SS. Dionysio & Sociis 9. Octob. videre est, tunc in posteriori primum geminato puncto fit prima Variatio. Quod si vero post Semipunctum diversæ constructiones plures sequantur, non fit propterea nova etiam variatio, sed duæ duntaxat in quavis Oratione variationes ad summum ante clausulam adhibentur.

Ferialis Tonus est, qui nullam habet variationem, sed tam in ipsis Orationibus, quam in clausula earumdem uniformi voce perficitur, uti patet in sequenti exemplo.



DEUS qui inter A po sto li cos Sacerdotes



famulum tuum Pon ti fi ca li fe ci sti



dignita te vi ge re præsta quæsumus,

ut



ut e o rum quoque perpe tu o aggre-



gentur consor ti o.

Porro circa geminum hunc Tonum sequentes Regulæ observandæ sunt. Prima est, quod in utroque hoc Tono Orationes, voce gravi, ac competente interposita mora in fine cujuslibet clausulæ, & præsertim in clausula finali, cum decoro ac gravitate recitari debeant, uti Cæremoniale Episcoporum l. c. monet. Secunda Regula est, quod Tonus festivus in solis Duplicibus & Semiduplicibus; Ferialis vero in Simplicibus, & pro defunctis in Missa habetur, ita tamen, ut semper Versiculus: *Dominus vobiscum*: & vox: *Oremus*: præmittantur in hoc Tono.




Dominus vobiscum. O re mus.

Ante Orationem vero, quæ Prophetiam præcedit, Sacerdos quidem vocem *Oremus* cantet hoc modo:




O re mus.

Et Diaconus ſubjiciat:



Flectamus ge nu a.

Subdiaconus vero reſpondeat:



Le va te.

Denique in Oratione, quæ in Quadrageſima in feriali Officio ultimo loco dicitur, Diaconus hæc verba cantet:



Hu mi li a te cà pi ta ve ſtra DEO.

Excipiuntur tamen ab hac Regula Orationes & Versiculi, qui pro defunctis extra Missam v. g. pro absolutione cantantur; in his enim vox per tertiam deprimitur in ultimis Syllabis, ut pariter in adjecto exemplo patet.




Pa ter no ster. Et ne nos inducas in




ten ta ti o nem. A por ta in fe ri

VI. Tertius Tonus in Missa adhibendus est ille, qui Epistolæ convenit, qui tribus fere Regulis constat. Prima est, ut quemadmodum bene Rituale Augustanum fol. 560. monet. Tonus hic lente, graviter, ac tractim secundum Accentum pronuntietur. Secunda est, ut, si interrogativum occurrerit, sequens Tonus interrogativi servetur.



Quis est hic, & lauda bimus e um?

Tertia est, ut reliqua in eodem fere Tono canantur, sine ulla vocis depressione aut elevatione, etiamsi in fine periodi monosyllabum, vel Accentus Acutus occurrat. Ultima tamen verba nonnihil longius produci convenit, uti adjectum schema demonstrat.




Lectio Libri Sa pi en tiæ. Dilectus



DEO & ho mi nibus, cujus memo ri a



in be ne di cti o ne eſt, &c. Et legem



vi tæ & diſci pli næ.

VII. Quartus Tonus in Evangelio adhibendus priores duas Regulas cum Epiſtola communes habet. Tertiam autem hanc propriam habet, ut, ubicumque Punctum aliquod reperitur, ibi quarta ſyllaba ante Punctum, vel ſi illa ſyllaba brevis ſit, quinta per tertiam deprimatur, & in fine Evangelii ſexta vel ſeptima ſimili modo deprimatur, & paulatim elevatur, ut in adjectis paradigmatis videre eſt.

Domi-



Dominus vobiscum. Sequentia




sancti Evangelii secundum Matthæum.



In illo tempore dixit Simon Petrus



ad JESUM: Quid ergo erit nobis?




& vitam æternam possidebit.

A L I U D,

In quo quinta Syllaba deprimitur.



In il lo tempo re dixit JESUS di-



ſci pu lis ſu is.

VII. Quintus, ſextus, & ſeptimus Tonus Symbolo Apoſtolorum, Præfationi, & Orationi Dominicæ convenientes nihil ſpeciale habent, ſed eo modo dici debent, quo in Ordine Miſſæ ſunt notati.

VIII. Octavus Tonus, qui a Diacono, quando ſub Miſſa ſolemni Communio generalis inſtituitur, uſurpandus eſt, ſequentibus Notis continetur.




Confi te or DEO omnipotenti Be a tæ


Mariæ



Ma ri æ ſemper Virgini, Beato Michae li




Archangelo, Be a to Joan ni Baptiſtæ,



Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo, Omni-



bus Sanctis, & tibi Pater quia peccavi



ni mis co gi ta ti o ne verbo & o pe rę




mea culpa mea culpa mea maxima



culpa. Ideo precor Beatam Mariam



ſemper Virginem, Beatum Michaelem




Archangelum, Beatum Joannem Baptiſtam,



Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum,

omnes



omnes Sanctos & te Pa ter o ra-



re pro me ad Dominum Deum nostrum.

IX. Nonus Tonus, qui in *Ite Missa est*, & *Benedicamus*, vel *Requiescant in pace* adhibendus est, distincte quidem in Ordine Missæ exprimitur; verum quia peculiaris ibi Tonus pro Festis Solemnibus, & alius pro Festis Duplicibus assignatur, dubium non leve oritur, quid per Festa Solemnia ibidem intelligatur; non enim per illa videntur sola Duplicia primæ Classis designari, cum utique Festum Circumcisionis, & SS. Trinitatis, quæ sunt secundæ Classis, etiam inter Solemnia numeranda sint; sed neque utraque Festa primæ & secundæ Classis pro solemnibus habenda sunt, tum quia Evangelistarum Festa utique Solemnia non sunt dicenda; tum quia in Antiphonario, quando Versus *Benedicamus* in Vesperis cantandus est, expresse idem Tonus pro Apostolis (quorum Festa sunt secundæ Classis) assignatur, qui in Ordine Missæ Duplicibus pro *Ite Missa est*, assignatus est. Ego, qui nihil hac de quæstione apud Rubricistas determinatum invenio, salvo meliori judicio, & consuetudine locorum, cui merito se quisque accommodat, censeo, omnia in primis Festa primæ Classis pro Solemnibus (prout hic sumuntur) habenda esse; deinde etiam Festum SS. Trinitatis & Circumcisionis, quia Festa Domini sunt, & tam in Choro, quam foro solemniter celebrantur, iisdem annumeranda, de reliquis vero communem Tonum Duplicibus assignatum usurpan-

pandum esse: cum enim ex una parte idem Tonus in *Ite Missa est*, & in *Benedicamus* cantando adhiberi debeat: ex altera parte autem communis Tonus Duplicibus assignatus in Antiphonario recognito & emendato etiam Apostolis attribuantur, reliqua autem Duplicia Classis secundæ aut inferiora sint (ut S. Laurentii & Evangelistarum) aut non multo superiora (ut S. Michaelis) aut ad B. Virginem spectent, & proprium Tonum habeant, merito de illis quoque communis hic Tonus usurpandus est. Excipiendum tamen videtur Festum SS. Petri & Pauli, quod primæ Classis est, atque adeo in citato Antiphonarii loco nomine Apostolorum non venit, sicut in Tabula Festorum initio Breviarii posita inter Duplicia secundæ Classis ponuntur Natalitia XII. Apostolorum, & tamen hoc nomine Festum SS. Apostolorum Petri & Pauli intelligitur, utpote quod inter Festa primę Classis positum est.

TITULUS XXXIV.

DE ORGANI PULSATIONE

I. CUm Cantui frequenter etiam Organi pulsatio misceri consueverit; nec præter Cæremoniale Episcoporum (quod pauci ad manus habent) facile in libris reperiatur, quando prædictum Organum pulsari debeat, operę pretium visum est, ut hoc loco breviter inseratur, quod in prædicto Cæremoniali de ejusdem Organi usu præscribitur. Tria autem præcipue sunt, quæ de eo considerari possunt, scilicet 1. Quibus diebus adhibendum sit. 2. Ad quas partes Missæ vel Officii divini sit pulsandum. 3. Quid in tali pulsatione observandum sit.

II. Primo itaque tempus & dies quod attinet, pulsandum est juxta Cæremoniale Episcoporum l. 1. c. 28. Organum. 1. In omnibus diebus Dominicis & Festis per annum occurrentibus, in quibus Populus a servilibus operibus abstinet (etiamsi in Adventu aut Quadragesima ejusmodi Festa occurrant) a Dominicis tamen excipiuntur omnes Dominicæ Adventus (præter Quartam, quę incipit *Gaudete:*) & Quadragesimæ (præter Tertiam, quæ incipit *Lætare*) 2. In Feria quinta Cœnæ Domini, & in Sabbato sancto. 3. Quotiescumque Missa solenniter, & pro re gravi cum lætitia celebra-

lebratur, v. g. pro gratiarum actione, pro felici auspicio, pro benedictione nuptiarum aut templi.

III. In Missa solemniter pulsatur Organum. 1. Cum celebrans ex Sacristia cum Ministris exit. 2. Alternatim in Introitu Missæ (nisi ob figuratum Cantum continuo adhibeatur, quod etiam de posterioribus intelligendum est.) 3. Ad *Kyrie eleison*. 4. Ad Hymnum Angelicum. 5. Loco Gradualis post Epistolam. 6. Ad Offertorium. 7. Ad *Sanctus*. 8. Ad elevationem Hostiæ & Calicis, ubi tamen graviorem & dulciorem sonum adhibendum monet Cæremoniale. 9. Ad *Agnus DEI*. 10. Ad Post communionem. 11. Post *Ite Missa est*, aut *Benedicamus*.

IV. In Officio divino adhiberi decet Organum. 1. Ad Hymnum Ambrosianum. 2. In Vesperis solemnibus in fine cujuslibet Psalmi, & alternatim in Versiculis Hymni, & Cantici *Magnificat*; ita tamen, uti primus Versus illorum, semper a Choro cantetur uti & Versus *Gloria Patri* (licet immediate præcedens Versiculus pariter fuerit a Choro cantatus) & illi Versus Hymnorum, in quibus genuflectendum est, ut sunt Versiculus: *Te ergo quæsumus*, & *Tantum ergo Sacramentum* (si Venerabile publice expositum est) item ultimi Versus Hymnorum. In reliquis Horis non deberet adhiberi Organum, nisi consuetudo aliud habeat, tunc enim retineri potest. In nocte tamen Nativitatis statim a principio Matutini Organum adhiberi posse, monet ipsum Cæremoniale loc. cit.

V. Caveri autem debet, inquit Cæremoniale l. c. ne sonus Organi sit lascivus, impurus: aut nec cum eo proferantur Cantus, qui ad Officium, quod agitur, non spectent. Et ne vocum Harmonia, quæ ad pietatem augendam ordinata est, aliquid levitatis ac lasciviæ præseferat, & audientium animos a rei divinæ contemplatione avocet, sed potius sit devota, distincta, & intelligibilis.

VI. In Missis Defunctorum juxta Cæremoniale, nec Organum, nec figurata Musica adhiberi deberet: si tamen utrumque ex consuetudine adhibeatur, saltem curandum est, ut remissiori, & ad luctum composito Tono omnia peragantur.

TITU-

TITULUS XXXV.

DE QUIBUSDAM DEFECTIBUS IN CELEBRATIONE MISSÆ OCCURRENTIBUS CORRIGENDIS

I. NOn est hic animus fusius de hac materia discurrere, sed paucos dumtaxat casus frequentius occurrentes breviter recensere, & quomodo in iisdem defectus occurrentes ex mente Rubricarum & probatorum Authorum corrigendi sint, indicare.

II. Regula prima: *Semper curandum est, ut integritas Sacrificii vel ab uno vel a pluribus Sacerdotibus procuretur.* Hinc primo sequitur, Celebrantem, si advertat, se legitimam materiam non consecrasse, debere aliam (si potest sine scandalo) procurare, & consecrare juxta Rubricas p. 3. tit. 4. Sequitur secundo. Si Celebrans consecrata una specie, vel etiam duabus ita infirmetur, ut perficere, sumereque Sacrificium non possit, ab alio (etiam non jejuno, si necessitas exigat) id perfici debere, uti eædem Rubricæ tit. 9. n. 3. præscribunt. Sequitur tertio. Si post Hostiam consecratam advertatur aquam pro vino appositam esse, posse & debere novum vinum cum aqua admixta consecrari, etiamsi ob aquam priorem in Calice deglutitam non amplius jejunus sit Celebrans. Sequitur quarto. In eodem casu, quo aqua pro vino consecrata est, non esse necessario iterum consecrandam Hostiam, licet possit id facere ob authoritatem S. Thomæ id exigentis, cum prior Hostia sufficit ad integrum Sacrificium cum novo vino consecrato faciendum juxta Scotum, Navarr. Suar. Coninck & alios apud P. Gobat in Alph. Sacrif. n. 399. licet ipse in loco privato Hostiam apponendam esse putet. Sequitur quinto. Si post discessum ab Altari advertatur defectus substantialis in præterito Sacrificio commissus, non esse supplendum hunc defectum juxta probabiliorem eorumdem Authorum, Suarii nempe & Conink, quibus etiam Tamburinus apud & cum P. Gobat. n. 401. adstipulatur, sententiam, licet contrariam sententiam idem Autor improbabilitatis damnare non audeat. Sequitur sexto, si defe-

ctus

ctus materiæ legitimæ v. g. vini notatus est, exspectandum quidem aliquantulum esse, donec afferatur, si tamen aut diu nimis exspectandum foret, aut sine scandalo afferri non posset, pergendum esse in Sacrificio, cæteraque absolvenda, omissis iis, quæ ad deficientem speciem pertinent, uti eædem Rubricæ tit. 4. n. 8. monent, & etiam Azor. ac Bonac. apud P. Gobat. n. 400. de Sacrif. docent, si per medias turbas talis species cum scandalo afferenda foret.

III. Regula secunda: *In dubio de essentialibus partibus adhibitis, rectius semper opinio securior & probabilior tenetur; secus ordinarie sentiendum si de partibus non essentialibus oriatur dubium.* Hinc sequitur primo. Si valde probabiliter dubitet (id est, magis aut æque propendeat in eam partem, quæ eum aliquid essentiale omisisse persuadet) de defectu essentiali commisso consecrationem sub conditione iterandam esse, uti Rubricæ tit. 5. n. 2. monent. Sequitur secundo. Si magis propendeat in partem negantem, se aliquid essentiale omisisse, nihil repetere quidem debere juxta Nugnum apud & cum P. Gobat. n. 409. securius tamen etiam in hoc casu consecrationem conditionatam adhiberet, cum adhuc maneat probabilitas contrariæ opinionis, atque adeo reverentia Sacramento debita suadeat, ut illam potius, quam oppositam, licet probabiliorem sententiam sequamur. Sequitur tertio. Si probabiliter dubitet, se aliquid de non essentialibus omisisse: non esse quidem aliquid repetendum, immutando ordinem Sacrificii, sed ulterius progrediendum uti S. Thomas q. 83. a. 6. ad 5. & Dicast. apud P. Gobat. n. 403. docent; securius tamen & consultius esse, ut si defectus adhuc gravis sit (v. g. si panis fermentatus, vinum acetosum, aqua vino non apposita notetur) ut ante consecrationem vel oblationem corrigatur, uti Tannerus q. 10. n. 112. docet, ubi etiam addit, si levis sit defectus, & exigua mora intercesserit, ita ut facile corrigi possit, haud dubie corrigendum videri; quod de privato Sacro, & iis, quæ secreto dicuntur, etiam P. Gobat. n. c. sentit, atque adeo repetendum putat, si quis post *Dominus vobiscum* recordetur, se Hymnum Angelicum, aut Symbolum omisisse, sed & secretam Orationem dicendam, si quis notaret, se ante Epistolam Collectam aliquam omisisse, secus si ad Postcommunionem primum adverteret errorem.

rem. Sequitur quarto. Si quis non recordetur, se aliquid dixisse, aut fecisse, non ideo turbari debere, quia, ut S. Thomas l.c. prudenter advertit, is, qui multa dicit, & facit, non potest recordari omnium, quæ dixit, aut fecit, adeoque nihil repetere debet propter eam solam causam, quod non recordetur, an fecerit, vel dixerit. Sequitur quinto. Si Hostia per inadvertentiam aut alium casum in Calicem cadat, totaque madefiat, nihil esse iterandum juxta Rubricas tit. 10. n, 9. nec extrahendam, sed omnia, ut alias, dicenda; omissis tamen signis, quæ circa Hostiam exercenda erant: & dum sumitur Sanguis, dicendo: *Corpus & Sanguis Domini nostri &c.* Sequitur sexto. Rarissime, ut loquitur P. Gobat. n. 406. consecrationem ob defectum intentionis irritam esse, cum hoc ipso, quod Sacerdos libere vestes Sacerdotales induat, atque in Altari recitet, quæ in Missali præscribuntur, habeat virtualem seu implicitam intentionem sacrificandi, quam omnes Doctores sufficere post S. Thomam q. 64. a. 8. d. 3. pronuntiant.

IV. Regula tertia. *Omnis industria, quæ ad irreverentiam Sacramenti cavendam necessaria apparet, studiose est adhibenda.* Hinc sequitur primo. Si species consecratæ sumi non possint, vel quia veneno infectæ, vel a muribus corrosæ, vel a vermibus infectæ, aut a sumente evomitæ nauseam pariant, eas honeste asservari debere, donec corrumpantur, & tunc in Sacrarium, seu Piscinam Sacram conjiciendas esse, uti Rubricæ tit. 10. n. 7. præscribunt. Sequitur secundo. Si species consecratæ vini, absq; periculo vitæ, aut irreverentiæ Sacramento exhibendæ sumi non queant, in alio primum Calice aut vase ponendas, tum in stuppa vel panno lineo asservandas, donec exsiccentur; & tunc demum stuppam aut pannum comburenda, cineresque in Sacrarium conjiciendos esse juxta easdem Rubricas. Sequitur tertio. Si Sacra Hostia aut Sanguis in locum non sacrum cadat, in primis, quantum fieri potest, digitis Canonicis tollendum: deinde locum illum super injecto strophiolo tegendum, & postea radendum ac abluendum esse: si tamen ejusmodi species in barbam vel vestes alicujus sæcularis cadant, sufficere putant, si tollantur, nec opus esse rasione vel ablutione, tradunt P. Simon Felix & Tamburinus apud P. Gobat. n. 412. quorum sententiam ipse ibi-

ibidem tutam, ac in praxi securam vocat, Sequitur quarto. Si Particula vel Hostia reperiatur, de qua prudenter dubitari potest, num consecrata sit, adorandam esse sub conditione, reservandam in corporali aut tabernaculo, & in proxima vel eadem Missa ante ablutionis sumptionem a Sacerdote sumendam esse.

TITULUS XXXVI.

DE TEMPORE MISSÆ.

I. CUm de hoc tempore sat clare Rubricæ Generales loquantur, non multum addere hic oportet.

II. Primo itaque Missam privatam quod attinet, hæc post Matutinum saltem dictum quacumque hora usque ad meridiem dici potest. Dixi *saltem*; eo quod multi Authores doceant, non esse absque peccato Missam ante Matutinum dici, licet plurimi contrarium doceant, atque adeo, si causa adsit, absque scrupulo Missa talis non dicto Matutino legi queat.

III. Missa solemnis vero in Duplicibus, & semiduplicibus, ac pariter Dominicis & infra Octavas post dictam in Choro tertiam dici debet, quod usque adeo observandum decrevit Sacra Rituum Congregatio, ut, ubi propter loci frigiditatem, aut alia ex causa Populus tardius ad Ecclesiam accedit, magis præstet tunc tempus recitandi tertiam, quam debitum Ordinem invertere.

IV. In Feriis per annum, & Simplicibus Missa solemnis post Sextam; post nonam vero in Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor temporum & vigiliis, quamvis sint dies solemnes, ut notat Piscara l. 2. f. 9. n. 2. cantari debet.

V. Missæ votivæ pro re gravi vel publica Ecclesiæ causa pariter post nonam dictam celebrari debent, teste eodem Piscara l. c. n. 3. Missæ Defunctorum vero post primam celebrari debent, nisi immediate post Matutinum diei statim Matutinum cum laudibus Defunctorum diceretur, tunc enim etiam ante primam cantari Missa pro Defunctis posset.

PARS

PARS III.

DE MINISTRORUM OFFICIIS.

ETsi ea, quæ ad Officium Diaconi & Subdiaconi pertinent, satis clare in Rubricis Missalis explicata habeantur, quia tamen ex una parte hæ ipsæ illorum functiones cum functionibus Celebrantis permixtæ ibidem indicantur: ex altera vero parte negari non potest, plurimum memoriam in ejusmodi actionibus discendis & retinendis juvari, si ea, quæ ad quodvis Officium pertinent, ab aliis functionibus separata sub unum aspectum ponantur; & præterea etiam plerumque talibus Tironibus Missalia ad manum non sunt, visum est omnino e re fore, si hoc quoque subsidium dictis Tironibus non negaretur, id quod in hac parte breviter præstabitur.

TITULUS I.

DE OFFICIO ASSISTENTIS PRESBYTERI.

I. CUm in Ecclesiis Cathedralibus plerumque Assistentes ejusmodi adhibeantur, & de iisdem in Rubricis Generalibus nulla fiat mentio; Cæremoniale vero Episcoporum pauci ad manus habeant, placet eorum Officium breviter hic apponere.

II. Primo itaque Officium illius est, Missam prævidere, signacula disponere, & in aliis sub Missa faciendis Celebrantem dirigere.

III. Vestibus illius est Pluviale coloris Officio convenientis supra superpelliceum impositum, quod assumit, ubi Celebrans fuerit Casula indutus.

IV. Ad Missam Celebrandam procedens vadit ad dextram Diaconi: aut si hic comitatur Celebrantem, & Pluviale attollit, ante Celebrantem vadit, uti Brallion c. 4. n. 3. ait,

ait, si tamen alicubi consuetudo habeat, ut sequatur Celebrantem, ea retineri poterit.

V. Quando Celebrans facit confessionem, ipse ad dextram illius stabit, & tunc Diaconus stabit a sinistris, & Subdiaconus a Sinistris Diaconi, sed retro paululum, uti Piscara l. 1. sect. 7. n. 2. & Nicolaus Brallion. l. c. n. 7. si tamen & hic consuetudo aliud teneat, servanda erit.

VI. Post peractam Confessionem, dum Celebrans incensat, ipse librum removet, & post incensationem reponit, & stans a sinistris Diaconi juxta Celebrantem, illi principium Missæ ostendit, nec discedit, sed cum Celebrans hymnum Angelicum dicit, exspectat apud librum, donec ad secundum accedat, tunc enim & ipse supra scabellum nudum, capite cooperto sedere poterit.

VII. Cum Celebrans redit ad Altare, ipse post eum ad latus Epistolæ ascendit, ibique Celebranti sicut ad introitum, assistit.

VIII. Cantata Epistola vadit ad cornu Evangelii, ibique exspectat, donec Subdiaconus librum afferat, & tunc Celebranti legenti Evangelium assistit. Nicolaus Brallion. n. 21. putat, ipsum Assistentem debere deferre librum, qua in re consuetudo servanda est.

IX. Post Evangelium accedit ad sinistram Celebrantis, donec Symboli initium cecinerit: tum enim se ad cornu Evangelii retrahit, & Ministris accedentibus locum cedit. Finito vero Symbolo sequitur Celebrantem (si sedit) ad Altare redeuntem, eique a sinistris assistit usque ad communionem, excepto casu, quando ad incensationem librum removere debet. Dum autem dicto modo assistit, cum Celebrante semper caput inclinat, & genuflectit, & cum opus est, folia vertit. Stat autem semper, nisi cum Consecratio peragitur, & Sacramentum elevatur.

X. Dicto *Agnus DEI* accedit ad dextram Celebrantis (uti Diaconus ad librum) & ibi eo ritu, quo Diaconus, accipit ab eo pacem, eamque ipsemet distribuit ut Subdiaconus (qui tunc accedit ad dextram Celebrantis) & postea Diacono offert, nisi Supremus aliquis Princeps adesset, tunc enim huic ante Diaconum pax danda foret, uti Brallion c. 8. n. 4. ait.

XI. Si communio generalis facienda est, ipse ad cornu Evangelii flectit.

XII. Delato libro per Diaconum ad cornu Epistolæ, & ipse accedit ad idem cornu, & Celebranti, ut alias, assistit.

XIII. Dicto *Ite Missa est*, accedit ad cornu Evangelii, ibique in supremo gradu flectens facie ad latus Epistolæ conversa benedictionem accipit, & tum Celebranti Evangelium legenti assistit, & tandem libro super credentiam reposito, vel, ut Brallion n. 6. vult, Cæremoniario dato ad infimum gradum, facit cum Celebrante ac aliis reverentiam, & ad Sacristiam ordine, quo venerat, accedens, primum omnium paramenta deponit, ut vult Piscara l. c. sect. 7. n 9.

TITULUS II.

DE OFFICIO DIACONI

§. I.

Quid ab egressu usque ad Offertorium ei sit observandum.

I. PAratis omnibus rebus ad Sacrificium necessariis, induit se Diaconus paramentis,& ad hoc juvatur a Ministris, ipse vero postea Celebrantem in paramentis induendis juvat, dumque amictum & stolam porrigit, easdem prope Crucem prius osculatur. Quod idem osculum etiam figet, quando ipse pro se eas vestes & Manipulum accipit. Stolam vero dum induit, eam a lævo latere supra humeros ad dextram ducit, & sub brachio dextro cingulo connectit.

II. Dato ad exeundum signo Naviculam a Thuriferario recipit, & Celebranti cochlear porrigit, ita tamen ut tam hic, quam alias, quando id porrigit, semper & ipsum cochlear, & manum Celebrantis osculetur.

III. Postea faciens Cruci & Celebranti profundam reverentiam, junctis ante pectus manibus, capite cooperto ante Sacerdotem egreditur ad Altare. Si Celebrans pluviali utatur, ipse fimbrias ejusdem apprehendens Celebrantem a dextris comitatur.

IV. Ubi ad aram ventum est, suum birretum substituto porrigit, & a Celebrante quoque birretum cum Osculo accipit,

pit,ac Cæremoniario tradit, quæ tamen Oscula semper omittit in Officio Defunctorum,ac quando Venerabile Sacramentum prostat. Tum profundam Cruci reverentiam facit, aut si adsit Venerabile in Altari, omnino genuflectit.

V. Si aspersio Aquæ benedictæ facienda sit, a Substituto aspersorium accipit, illudque & manum Celebrantis osculans eidem Celebranti porrigit: si tamen Venerabile Sacramentum prostet, utrumque osculum omittendum est, quod idem etiam in aliarum rerum porrectione observandum erit.

VI. Quando Celebrans inchoat Psalmum *Judica*, ipse quoque signo Crucis se signat, & respondet Celebranti. Eodem modo se Cruce signat ad Versum *Adjutorium*, & ad *Indulgentiam.* Ad *Gloria Patri* vero caput inclinat. Cum dicit *Confiteor* profunde se inclinat, & ad illa verba, *& tibi Pater*, parum se versus Celebrantem convertit. Dum autem dicit *mea culpa*, dextra ter pectus percutit, sinistra infra pectus posita. Ad *DEUS tu conversus* inclinat se cum Celebrante quoad humeros, non tamen ad Orationem deducit manus, quas semper, quando iis ad Crucem aut percussionem pectoris non utitur, moderate erectas, & ita conjunctas, ut, quantum fieri potest, Dalmaticam non tangant, gerere debet.

VII. Dum Celebrans ad Altare ascendit, ipse ejus vestem anteriorem & albam attollit, & ubi is Altare osculatur, ipse Diaconus manibus junctis ante pectus, non super Altare positis genuflectit, & naviculam a Substituto accipit, parumque inclinatus versus Celebrantem dicit stans: *Benedicite Pater Reverende:* simulque cochlear porrigit, & iterum post incensum impositum accipit, semper & illud, & manum Celebrantis osculans. Subinde naviculam Thuriferario reddit, & ab eo thuribulum accipit, & osculans extremitatem catenæ & manum Celebrantis ita illud offert, ut catenæ summitas in manu sinistra, altera vero pars prope ipsum vas constituta in dextra Celebrantis collocetur. Dato Thuribulo stat aliquantulum post Celebrantem, & posteriorem partem Planetæ parum elevat prope humeros, & quoties Celebrans ante mediũ Altaris transiens reverentiam facit, ipse genuflectit; dum vero Reliquias incensans Cruci prius reverentiam facit, ipse quoque Diaconus solum profundam reverentiam facit, cum Rubricæ *p. 2. tit. 4. n.7.* solum dicant, cum genuflectere de-

bere, quando transit ante Crucem. Finita incensatione stans a latere Epistolæ in secundo gradu accipit thuribulum cum osculo manus & catenulæ a Celebrante,& recedens paululum ab Altari Celebrantem incensat, facta ante & post profunda reverentia, & tunc thuribulū Cæremoniario reddit.

VIII. Post incensationem accedit ad dextram Celebrantis super secundum gradum, & ibi stat junctis ante pectus manibus. Signat autem se perinde ut Celebrans ad Introitum signo Crucis & ad *Gloria Patri* caput versus Crucem inclinat. Cum autem Celebrans in eodem loco *Kyrie eleison* dicit, ipse alternatim respondet,& statim post Subdiaconum,facta prius Cruci reverentia ad locum pro sessione deputatum accedit. ibique birretum Celebranti cum osculo illius & manus Celebrantis porrigit, & Casulam illius elevat ad sessionem commodius peragendam. Si vero non sedendum sit, tunc post introitum collocat se post Celebrantem in secundo gradu.

IX. Quando Celebrans dicit Hymnum *Gloria*, ipse ad Altare ascendit, & stans a dextris & manibus junctis ante pectus cum eodem Hymnum recitat, & caput ad *Adoramus*, *Gratias*, *JESU Christe*, *Suscipe* perinde ut Celebrans inclinat, & in fine Cruce se signat. Tum iterum facta genuflexione per breviorem viam ad sedem accedit, ibique manibus super genua extensis, & digitis junctis, capiteque cooperto sedet, quod tamen nudat, & inclinat, quoties supradicta verba a Choro canuntur. Si vero Celebrans non sedeat ad Hymnum (uti fieri deberet Venerabili exposito) tum manet in eodem loco stans a dextris Celebrantis, donec Hymnus a Choro absolvatur, sic Gavantus *p.2.tit.4.litt.N.* asserens ita communiorem usum Romanum habere. Quia tamen Rubrica tit. 4. n. 7. quotiescumque Diaconus & Subdiaconus nihil cum Celebrante dicendum aut agendum habent, præcipit, ut unus post alterum stet e tergo Celebrantis, ideo alii, saltem in nostris partibus, plerumque etiam hunc modum servant, quos proin, ubi consuetudo sic habet, imitari licebit.

X. Prodeunte Cæremoniario ad finem Hymni, & signum ad surgendum dante, surg t posito birreto suo, ipse a Celebrante cum debitis osculis birretum accipit, & in illius sede collocat, sicque per longiorem viam iterum ante Celebrantem ad Altaris infimum gradum accedit, & transeunti Celebran-

branti caput inclinat. Postquam vero Celebrans ad Altare ascendens *Dominus vobiscum* cantat, ipse post illum in secundo gradu stans cum eodem ad cornu Epistolæ accedit, ibique manibus junctis post eum iterum consistens, finitis Orationibus ad ipsum facta genuflexione accedit, & stans a dextris illius, folia, si opus sit, vertit; *DEO gratias* in fine Epistolæ respondet, & se in genuflectendo, capite inclinando &c. conformat, ibique manet, donec veniat Subdiaconus.

XI. Dum Celebrans incipit Evangelium, accipit ipse librum Evangelii de manibus Cæremoniarii, & solus procedens ad medium Altaris, ante pectus elevatum gerens, & in infimo gradu genuflectens, collocat illum quasi jacentem super medium Altaris, ibique genuflexo stat in secundo gradu quasi medius inter Celebrantem, & Subdiaconum usque ad finem Evangelii. Finito Evangelio accedit ad partem Epistolæ, ibique per gradus ascendens ad Celebrantem, ministrat ei naviculam & cochlear more solito pro incenso benedicendo, qua benedictione peracta naviculaque Substituto restituta, genuflectens in supremo gradu Altaris manibus junctis, & inclinato capite dicit: *Munda cor meum &c.* eoque finito surgit, & ambabus manibus, librum de Altari accipiens, flectit iterum in supremo gradu, & conversus ad Celebrantem dicit: *Jube Domne benedicere*, & dum Celebrans manum super librum extendit, eamdem osculatur. Accepta postea benedictione descendit in planum, factaque genuflexione, ad locum Evangelii extra Cancellos procedit, librum ante pectus portans, Subdiacono a sinistris comitante. Postea e regione Subdiaconi stans librum apertum ei in manus tradit, & finito cantu in Choro, junctis ante pectus manibus *Dominus vobiscum* canit: dum canit *Sequentia*, signat pollice dextro initium Evangelii in libro, sinistra super librum posita, reliquis digitis explicatis. Postea seipsum in fronte, ore & pectore, eodem modo signat, sinistra pectori admota. Dum cantatur a Choro *Gloria tibi Domine*, ipse de manu Thuriferarii Thuribulum accipiens incensat librum in medio, deinde a parte dextra libri, sua autem sinistra; & tandem a parte sinistra libri, sua autem dextra, tribus ductibus, redditoque thuribulo, manibus junctis prosequitur Evangelium, caput versus librum inclinans, quoties No-

men JESU aut MARIÆ aut Sancti illius diei canit. Finito Evangelio redit ad medium Altaris, ibique Thuribulum accipiens ter incensat Celebrantem, ante & post profunde se inclinans, redditque Thuribulum, quam tamen incensationem in Missa solemni pro Defuncto non facit, uti nec benedictionem petit.

XII. Si Concio sit futura, primo juvat, si opus sit, Cæremoniarium in Casula Celebranti detrahenda, tum ipse Dalmaticam deponit, & dicto a Concionatore Evangelio cum Celebrante ad sedem præparatam accedit. Concione finita iterum ad Altare rediens, Dalmatica resumpta, stat post Celebrantem; ac cantato *Credo*, ad Altare accedit, & cum eo Symbolum prosequitur inclinans caput, & genuflectens, quoties Sacerdos id facit, ac postea ad sedem accedens omnia observat, sicut ad *Gloria in excelsis* supra dictum est.

XIII. Cum vero in Symbolo *Et incarnatus est* cantatum fuerit, surgit: birretum ponit supra sedem, & profunde se inclinans Celebranti vadit ad Credentiam, accipit a Cæremoniario bursam ambabus manibus veluti jacentem, & illam usque ad faciem elevatam, parte aperta ad se conversa, solus sine comite per planum defert ad Altare, facta in transitu Celebranti reverentia, & ante infimum gradum genuflexione ascendit, ibique ex bursa, quam in latere Evangelii ita collocat, ne impediat, Corporale depromit, & explicat, ita ut ora Corporalis oram mensæ Altaris contingat & pars Cruce signata sit in medio, ubi Celebrans eam osculari debet: denique genuflectens, manibus ante pectus junctis, per breviorem viam descendit, & facta Celebranti debita reverentia sedet, tegitque.

§. II.

Quid ab Offertorio usque ad finem observandum.

I. POstquam Symbolo cantato Celebrans ad medium Altaris accessit, Diaconus stans post ipsum exspectat, donec Offertorium dicat, tum ad ipsum adscendens, & a dextris stans junctis manibus, de manu Subdiaconi Calicem accipit, detegit, pallam removet, eamque prope Corporale collocat, ita ut facile apprehendi possit: deinde Patenam cum Hostia arri-

arripiens, prius patenam (tum etiam manum Celebrantis) osculatur, & porrigit. Post hæc Calicem a Subdiacono accipiens, & ampullam vini a Ceroferario, vinum infundit; ac postquam Subdiaconus parum aquæ infuderit, Calicem sinistra elevans, & dextra pedem tenens cum debitis osculis Celebranti porrigit, & brachium ejus substentans dicit cum illo *Offerimus*, deinde positum more solito in Altari Calicem palla tegit. Subdiacono autem adhuc in cornu Epistolæ stanti Patenam Purificatorio inferius involutam ponit in manu dextra, eamque cooperit extremitate veli superhumeralis, quam tamen traditionem Patenæ in Missa solemni Defunctorum non facit. Ubi autem Celebrans reliquas Orationes absolverit, ipse sicut in principio Missæ cochlear & naviculam eidem subministrat, & dum is oblata incensat, Calicis pedem tenet; & sinistra manu Casulam elevat; dum vero Crucem incensat, Calicem a medio ad latus Epistolæ removet, non tamen extra Corporale, iterumq; postea reponit. Quando per medium Altaris transit, cum Celebrante genuflexionem facit, postquam autem hic incensationem absolverit, thuribulum ab eo accipiens, ipsum ter more solito incensat, &, dum ille lavat manus, ipse cum Thuriferario ad planum in cornu Epistolæ vadit, ibique facta genuflectione incensat primo astantes in choro, tum Subdiaconum, & postremo a Cæremoniario incensatur. Cum dicitur Præfatio, stat retro post Celebrantem, & paulò ante, quam dicatur *Sanctus* ad Altare accedit, & cum Celebrante in media voce, & parum inclinatus dicit, indeque iterum ad *Benedictus* se erigens, cruceque signans, facta genuflexione ad sinistrum Celebrantis latus se confert, iterumque genuflectens, de libro servat, manus habens in eodem libro sustentando occupatas.

II. Quando Celebrans dicit, *Quam oblationem*, ipse facta genuflexione transit ad dextram Celebrantis, ubi iterum, in superiore gradu Altaris genuflectit, &, cum elevatur SS. Sacramentum, fimbrias Planetæ sinistra elevat, dextra pectus pulsat, & quando opus est, se erigens, Calicem discooperit, vel tegit, & cum Celebrante genuflectit. Quando vero Celebrans Calicem consecrat, non genuflectit, sed ad latus paululum retro Celebrantem adstat, uti non multos ante annos Alexander VII. decrevit, ob memoriam & imitatio-

nem S. Laurentii, qui S. Xysto Pontifici Sanguinem offerenti adstitisse legitur. Peracta Consecratione iterum flectit, & post oblatum Calicem, eumdem cooperit, & facta genuflexione ad sinistram Celebrantis transit, eique, ut ante, ministrat. Dum Celebrans dicit *Nobis quoque peccatoribus*, pectus cum ipso percutit, sicut & Cruce se signat, quando Celebrans illa verba, *Omni benedictione*, pronuntiat. Quando ad verba, *per quem hæc omnia*, ventum est, iterum facta genuflexione ad dextram redit, & nova genuflexione præmissa Calicem detegit, genuflectit, surgit, & stans Calicis pedem, dum Celebrans super Calicem Crucem format, duobus digitis tenet, & Hostia a Celebrante deposita, iterum genuflectit, & calicem cooperit.

III. Dum Celebrans Præfationem (ut Gavantus loquitur) ad *Pater noster* canit, ipse facta genuflexione vadit post Celebrantem, ibique stat usque ad verba: *Et dimitte &c.* his enim cantatis genuflectens per breviorem viam ad Celebrantis dextram ascendit, & acceptam a Subdiacono Patenam illi porrigit, prius tamen Purificatorio abstersam, osculisque præmissis. Quando autem Celebrans se Cruce signat, & genuflectit, ipse quoque hæc facit, simulque Calicem pro Hostia dividenda detegit, iterumque cooperit, semper genuflectens. Facta divisione Hostiæ cum Celebrante dicit *Agnus DEI* pariter inclinatus, & pectus percutiens: tum genuflectit usque ad finem Orationis *pro Pace*, qua finita surgit, & extra Corporale Altare osculatur, non tamen ponens manus super eo: postea pacem accipit a Celebrante, ita eumdem complexus, ut utramque manum sub humerorum ejusdem ponat, dicentique *Pax tecum*, respondeat, *Et cum Spiritu tuo*, caputque ante & post complexum inclinet: Accepta pace mox genuflectit, descendit ad infimum gradum, & similiter pacem Subdiacono dat, ita ut ipse manum utramque super humeros ejus ponat, genaque sinistra sinistræ ejusdem genæ appropinquet. Tum faciens iterum genuflexionem accedit ad librum, & Celebranti assistit: cum vero hic dicit: *Domine non sum dignus:* pectus percutit, & Sacramentum adorat; ipse idem facit, profunde, dum Celebrans se communicat, versus Altare inclinatus.

IV. Dum fit Communio generalis, Diaconus, postquam

Celebrans sanguinem sumpsit, ad dextram Celebrantis vadens pixidem particularum in loco Calicis collocat, & discooperit, & postea in planum descendens ex parte Epistolæ, *Confiteor* alta & distincta voce juxta formam præscriptam canit: & si ipse quoque communicandus sit, post datam a Celbrante benedictionem genuflectit cum Subdiacono in medio Supremi gradus; & sumpto SS. Christi corpore ad Credentiam vadit, ibique primum ipse sumit purificationem, & postea, ut Rubricæ monent, etiam aliis Clericis (non Laicis) subministrat. Finita autem Communione pixidem iterum cooperit, & suo loco reponit.

V. Ubi Celebrans ablutionem accipit, librum ipse clausum cum Cussino accipit, & facta cum Subdiacono genuflexione defert ad cornu Epistolæ, transeundo per secundum gradum. Inde cum Celebrante ad librum accedens, vel ad medium rediens, & a tergo stans, postquam is finitis Orationibus *Dominus vobiscum* cecinit, ipse genuflectit, & vertens sese: *Ite Missa est* (vel sine versione *Benedicamus* aut *Requiescant*) cantat: quo absoluto iterum vertit se ad aram, & in secundo gradu a dextris Celebrantis flectit, caput profunde inclinat, & Cruce se signat, dum Celebrans Populum benedicit. Tum surgens ad cornu Evangelii vadit, & Celebranti Evangelium legenti assistit, & in fine, si Evangelium ex libro dicatur, librum claudit.

VI. Finito Evangelio redit cum Celebrante ad medium Altaris, factaque Cruci reverentia ad planum descendit, ubi repetita reverentia debita, dat Celebranti birretum: & suum ipse a Cæremoniario accipit, sicque ordine, quo egressus est, redit, ita tamen, ut, ubi ad Sacristiam venerit, exspectet stans cum aliis in recta linea, donec Celebrans, cui reverentiam facit, transiverit, tunc enim ipse sequitur, & in Sacristiam ubi venerit, primum Cruci, postea Celebranti reverentia facta: eumdem in vestibus exuendis juvat, & tum demum suas exuit.

TITU-

TITULUS III.

DE OFFICIO SUBDIACONI.

I. Ante egressum induit se ipse ante celebrantem, juvantibus Substituto & Acolythis, ipse vero juvat Celebrantem, Manipulum cum osculo prope Crucem offerendo. Tum sonantibus omnibus campanis, facta Cruci debita reverentia, & postea Celebranti, egreditur ante Diaconum (nisi Celebrans pluviali sit indutus, tunc enim ipse a sinistris fimbriam pluvialis tenens eum comitatur) cooperto capite, junctis & erectis manibus. NB.

II. Ubi ventum est ad aram; stans proximo Acolytho birretum porrigit, genuflectit cum aliis, etsi non adsit Venerabile Sacramentum, & facta Cruce cum celebrante incipit Psalmum *Judica*, ita jungens manus, ut, quantum fieri potest, Dalmaticam non tangant. Dum autem hunc alternatim cum celebrante recitat, inclinat caput, humeros, aut corpus, aut Crucem facit, quoties Celebrans id facit, excepta Confessione illius. Dum vero Confessionem ipse cum Diacono facit, profunde se inclinat, & ad verbum *tibi Pater*, *te Patrem* se parum ad Celebrantem convertit, ad verba *mea culpa* &c. ter pectus percutit, sinistra pectori admota.

III. Facta Confessione sine genuflexione cum Celebrante ad Altaris medium ascendit, vestem illius anteriorem & albam manu dextra attollens, altera manu pectori admota. Ubi vero ad Altare venerit, manibus junctis, non super Altare positis, genuflexionem facit.

IV. Ad initium incensationis dextra planetam circa humeros Celebrantis attollens eumdem comitatur, sinistra pectori admota, & cum ipso ante Reliquiarum incensationem profunde se inclinans, vel, cum per medium transit, aut ab eo recedit, omnino genuflectens. Peracta incensatione descendit cum Diacono in planum Epistolæ, nulla facta Altari reverentia, & stans a sinistris ejus exspectat, donec Celebrantem incensaverit. Tum accedens ad Celebrantem, & stans ad dextram Diaconi facit cum Celebrante Crucem ad initium Introitus, & ad *Gloria Patri* caput Cruci inclinat. Postea

stea vero alternatim cum eo *Kyrie eleison* dicens, facta Cruci reverentia per breviorem viam ad Sedilia ante Diaconum accedit, ibique Celebrantem ad sedendum per Casulæ elevationem juvat. Si vero non sedendum sit, tum post introitum collocat se in plano post tergum Diaconi super secundo gradu in medio stantis.

V. Dum Celebrans *Gloria in excelsis* canit, ipse facta genuflexione ad Altare ascendit, & a sinistris Celebrãtis stans, junctis manibus cum eo Hymnum illum recitat, inclinans caput ad *Adoramus*, *Gratias*, *&* *IESU Christe*, *Suscipe*, & Crucis signum ad verba *cum Sancto Spiritu* faciens. Inde si sedendum, facta genuflexione iterum per breviorem viam ad sedilia accedit, ut prius, ibique caput inclinat, quoties supra dicta verba canuntur. Circa finem Hymni, dato signo a Cæremoniario surgit, ponit birretum in sede, & ad planum Altaris accedit, genuflectit, & iterum in medio post tergum Celebrantis se collocat, quæ omnia etiam simili modo, quando ad *Kyrie eleison*, & *Credo* sedetur, facere debet.

VI. Quando Celebrans dicto *Dominus vobiscum* ad cornu Epistolæ accedit, ipse quoque cum eodem pari passu eo vadit, & in linea recta post Diaconum stat facie ad aram conversa, caputque inclinat ad verba *Oremus*, *per Dominum* & similia, non tamen respondet, *Amen*.

VII. Circa finem Orationis ultimæ accipit a Substituto (vel, ut vult Cæremoniale fol.224. a Cæremoniario) librum Epistolarum ambabus manibus, & elevatum ante pectus deferens, facta Altari in medio genuflexione, vadit ad partem Epistolæ contra Altare in plano Presbyterii, vel (si non est capax locus) extra cancellos, remotus duos minimum passus, sine nova genuflexione Epistolam cantat, ipse sibi librum tenens: qua finita claudit librum, redit cum Socio ad medium Altaris, & si non sit Officium Defunctorum (in hoc enim omittit hanc Cæremoniam) facta genuflexione accedit ad Celebrantem, ferens ambabus manibus, ut prius, librum, cujus superiorem partem in supremo gradu genuflectens versus Celebrantem parum inclinat, & manum illius super librum extensam osculatur. Tum surgit, tradit librum Cæremoniario, & Missale clausum cum Cussino supra pectus ad cornu Evangelii portat, ibique Celebranti Evangelium legenti

genti in secundo gradu ad sinistram assistit, conformans se eidem in formando signo Crucis, capitisque inclinatione, & tam in principio, quam in fine respondens, & Missale propius ad locum Corporalis pro Celebrantis usu collocans.

VIII. Finito Evangelio, quando Diaconus ad Celebrantem ascendit, ipse in plano stans exspectat, donec Diaconus iterum descendat, & tum cum eodem genuflectens, & a sinistris comitans procedit ad locum Evangelii extra Cancellos, duos minimum passus distans ab illis, ibique faciem nec totam ad Altare, nec totam ad Populum, sed fere ad eum modum, quo liber in Altari ponitur, ad Evangelium legendum vertit, librumque apertum a Diacono accipit, & ad commoditatem cantantis elevatum tenet, numquam se cum aliis inclinans, aut genuflectens. Finito Evangelio, nulla Altari facta genuflexione, vel reverentia, etsi prostet Venerabile, portat librum apertum & elevatum ad Celebrantem, & indice manus dextræ initium Evangelii monstrat nullam ei reverentiam in accessu faciens; quando tamen is librum osculatus est, ipse claudens librum profunde eidem se inclinat, & sine alia genuflexione per viam breviorem ad planum descendit, librumque Cæremoniario reddit.

IX. Si Concio habenda sit, accedens ad Celebrantem, eum in Manipulo & Casula detrahenda juvat, ipse vero Dalmaticam & Manipulum exuens Thuriferario præbet, & exspectans cum Celebrante, donec Evangelium finiatur, eo finito, cum ipso ad sedilia præparata, facta prius debita reverentia procedit, iterumque finita concione redit, & vestes reassumit.

X. Quando Celebrans *Credo* canit, ipse, ut in *Gloria in excelsis*, ascendit, & cum illo Symbolum recitat in omnibus inclinationibus se eidem conformans, uti etiam in fine formando Crucis signo. Tum facta reverentia, uti prius ad sedilia accedit & recedit. Post *Et incarnatus est*, dum Diaconus bursam ad Altare portat, ipse cum eodem surgit, & manu birretum tenens, ac in loco consistens exspectat, donec Diaconus ad suam sedem revertatur, tum iterum sedet, donec a Cæremoniario signum recedendi detur.

XI. Dum Celebrans dicit *Dominus vobiscum*, ipse post Dia-

Diaconum stans in medio, ubi Celebrans ad Altare reversus *Oremus* canit, genua flectens per planum ad Credentiam vadit, ubi a Substituto velum longum super humeros, ita ut in latere dextro longius dependeat, accipit, & relicto super Credentiam parvo velo Calicis, sinistra manu nuda Calicem per nodum accipit, & dextram extensam ponit super pallam velo superhumerali tectam, & sic eum per viam breviorem sine genuflexione ad cornu Epistolæ portat,& in Altari ponit, amotoque velo detegit. Quo facto Calicem Purificatorio extergit, quod circumvolvit nodo Calicis, sicque Calicem in manus Diaconi tradit, mox ampullam vini a Ceroferario traditam eidem Diacono porrigit, statim ab altero Ceroferario ampullam aquæ accipit, dextraque parum ipsam elevans, & Celebranti ostendens, versus eum inclinatus dicit: *Benedicite Pater Reverende:* & tum parum aquæ in Calicem infundit, exspectat, donec Diaconus Patenam in manu ponat, veloque tegat, quam ipse ita gestans, ut pars interior ipsum respiciat, sine genuflexione descendit in medium planum Altaris, ibique facta genuflexione stans tenet eam ante faciem usque ad finem Orationis Dominicæ, sinistra manu brachium dextrum sustentans, neque cum Celebrante, aut Diacono genuflectit, nisi in casibus infra exprimendis. Quando Diaconus ipsum incensare vult, se versus ipsum sistit, & ante ac post incensationem eidem se inclinat. Dum vero Celebrans dicit: *Orate Fratres*: ipse *Suscipiat* sine capitis inclinatione respondet.

XII. Ad Præfationem dum Celebrans canit *DEO nostro*, caput & ipse inclinat; finita autem præfatione ascendit ad sinistram Celebrantis, facta prius genuflexione, & cum eo *Sanctus* inclinatus dicit, ad *Benedictus* se iterum erigens, & facta genuflexione ad medium planum redit.

XIII. Dum Celebrans dicit *Quam oblationem*, cum Diacono super infimum gradum Altaris genuflectit a tergo Celebrantis, in Officio Defunctorum autem ad cornu Epistolæ accedit, ibique flectens, Hostiam & calicem elevatum ter incensat. Post Elevationem surgit, & rediens ad suum locum ibidem stat, usque dum Celebrans in Oratione Dominica canit, *Et dimmitte nobis*, tunc enim facta genuflexione per brevio-

viorem viam ascendit cum Diacono ad Celebrantem, & ad Diaconi dextram se sistit, ac Patenam nondum detectam Diacono porrigit, velum in manibus Substituti relinquit, & facta genuflexione ad suum locum revertitur, statque a tergo Celebrantis

XIV. Dum canitur a Celebrante *Pax Domini* facta genuflexione ad Celebrantis sinistram ascendit, & cum eodem *Agnus DEI* inclinatus, pectusque ter percutiens dicit; iterumque facta genuflexione ad suum locum revertitur, & ibi stat donec Diaconus ad ipsum descendat, & Pacem det; quam ipse quoque statim dat Cæremoniario, sed cum hoc discrimine, ut, dum eam a Diacono accipit, manum utramque supponat humeris; dum vero eam dat Cæremoniario, super eosdem ponat. Post datam pacem genuflectit, & ascendit ad dextram Celebrantis: detegit, cum opus est, Calicem: adorat cum Celebrante, &, cum dicit: *Domine non sum dignus*, inclinatus cum eodem pectus percutit. Dum Celebrans sumit Hostiam vel Sanguinem, profunde se inclinat versus Altare; sumpto autem Sanguine, cum debita reverentia & ampullæ osculo vinum pro purificatione Celebranti infundit, uti & pro ablutione vinum & aquam; tum accepto parvo velo Calicis genuflectit, & per infimum gradum ad partem Evangelii vadit, Calicem mundat, aptat cum Purificatorio, Patena & palla cooperit, plicat Corporale, reponit in bursam; & ipsam super Calicem prius a se velo coopertam ponit, & per gradus anteriores transiens, facta in medio genuflexione, portat ad Credentiam sine comite. Accedit ad medium, sequitur Celebrantem ad librum accedentem vel recedentem, flectit ad benedictionem cum Diacono in secundo gradu (nisi aliud Evangelium legendum sit, tunc enim portat librum facta post Diaconum in medio genuflexione) & caput profunde inclinans signo Crucis se signat, & ad cornu Evangelii cum Diacono se conferens assistit, Celebranti se in omnibus inclinationibus & Crucis formatione conformans, ut ad primum Evangelium. Finito Evangelio dicit: *DEO gratias*: redit cum Celebrante ad medium Altaris, facit Cruci reverentiam, & mox in planum descendit, ibique facta iterum reverentia, birretum a Substitu-

ſtituto accipit, & ante Diaconum capite tecto in Sacriſtiam regreditur, ita tamen ut, ubi ad Sacriſtiam venerit, ſiſtens ſe cum aliis in linea recta Celebrantem tranſire ſinat, & ipſe primum poſt Diaconum Sacriſtiam intret, ubi facta in primis Cruci, poſtea Celebranti reverentia eumdem in veſtibus exuendis juvat, & tum demum etiam ipſe ſe exuit.

TITULUS IV.

DE OFFICIO CÆREMONIARII.

I. ANte omnia indutus Superpelliceo quærit & ſignat in Miſſali & libro Evangeliorum, quæ ſunt cantanda vel legenda: deinde videt, an omnia ſint parata, præſertim pro Celebrante. Poſtea Miſſale apertum in Altari ponit & Calicem ad Credentiam defert, eumque in medio ponit.

II. Paratis omnibus induit Celebrantem, eumque in egreſſu ad ſiniſtram, nudo capite, & junctis ac erectis manibus ſequitur.

III. Ubi ad aram ventum eſt, ſiſtit ſe ad planum Epiſtolæ; ibique a Diacono birretum Celebrantis accipit, poſt genuflexionem ad ſedem deportandum.

IV. Si Aſperſio aquæ benedictæ facienda ſit, comitatur Celebrantem, & dextram pluvialis partem elevat. Ubi ad Altare redierit, facta debita reverentia, ad ſuum locum regreditur; finitis vero Orationibus ad Celebrantem accedit, eumque in caſula induenda juvat.

V. Dum Celebrans dicit Pſalmum *Judica*, ipſe ſtare poteſt, ſub Confeſſione tamen decentius flectit. Quoties autem Celebrans ſeipſum ſignat, vel caput inclinat, toties ipſe quoque ſe ſignat vel inclinat, excepta Confeſſione. Dum autem Diaconus & Subdiaconus Confeſſionem faciunt, ipſe ſe profunde verſus Altare inclinat, pectus percutit cum illis, & ad verba *Tibi Pater* ad Celebrantem ſe vertit.

VI. Si ad *Kyrie eleiſon*, vel *Gloria* ſedendum ſit, ipſe Subdiaconum in ſedendo juvat, Dalmaticam attollendam. Tum diligenter attendit ad verba: *Adoramus*, *Gratias*, *JESU Chriſte*,

Christe, *Suscipe*, & ex suo loco surgens, capitis inclinati signo id inclinationem monet, quod idem etiam signum dat ad recedendum, circiter quando *cum Sancto Spiritu* cantatur.

VII. Quando Celebrans Orationes canit, ipse in secundo gradu eidem assistit, facie ad illum conversa. Finitis Orationibus recedit, &, vel in suo loco consistit, vel, si ita moris sit, Subdiaconum ad Epistolam cantandam comitatur, eique a sinistris parum a tergo assistit.

VIII. Dum Celebrans Evangelium legit, ipse librum Evangelii accipit, eumque Diacono in cornu Epistolæ stanti porrigit. Postquam vero Diaconus accepta benedictione in planum descendit, ipse facta cum omnibus aliis Ministris genuflexione, primus procedit ad locum Evangelii extra Cancellos, & ibidem post Diaconum se sistit, & ad *Sequentia*, pollice signum Crucis in fronte, ore, & pectore format. Quando vero nomen JESUS cantatur, profunde versus Crucem, ad nomen MARIÆ autem versus Diaconum se inclinat. Si genuflexio facienda sit, ipsa quoque versus Crucem peragitur. Dum respondetur a Choro *Gloria tibi Domine*, thuribulum a Thuriferario accipit & Diacono offert, iterumque illud ab ipso recipit. In fine vero Evangelii ad locum suum rediens accipit a Subdiacono in planum descendente Evangelii librum, & ad Credentiam portat: postea Thuribulum a Thuriferario accipiens, Diacono porrigit.

IX. Si concio habenda sit, Celebranti Casulam detrahit, eumdemque ad sedilia præparata finito Evangelio euntem sequitur, idemque post concionem in reditu facit, simulque eumdem in Casula induenda juvat, &, ubi Concionator promulgandi vel orandi finem fecerit, eidem signum dat Symboli cantandi.

X. Dum sub Symbolo sedetur, diligenter attendat ad nomen JESUS, & *adoratur*, *Et incarnatus* &c. ut signum pro inclinatione dare possit. Post Versum, *Et incarnatus*, vadit cum Diacono ad Credentiam, offert ei bursam, & cum eo usque ad locum suum proprium accedit, non autem usque ad Altare comitatur. Circa finem Symboli signum ad surgendum dat, sicut in fine ad *Gloria in excelsis*.

XI. Di-

XI. Dicto Offertorio comitatur Subdiaconum ad Altare usque, reversusque ad locum suum manet ibi stans usque ad lotionem manuum, hac enim peracta ad sinistram Celebrantis accedit, & folia, si opus sit, vertit: manet quoque ibidem usque ad finem Præfationis, tum enim ad locum suum regreditur.

XII. Ad initium Præfationis iterum vadit ad sinistram Celebrantis, eique ad librum assistit, donec Subdianum Pacem a Diacono acceperit, tunc enim ad Subdiaconus in planum descendit, & ab eo etiam Pacem accipit, factaque genuflexione dat Pacem Substituto, & ad cornu Epistolæ redit.

XIII. Quando Celebrans Communionem dicit, accedit ad illum, eique dictam Communionem ostendit, & librum dicta ultima Oratione claudit, nisi Evangelium ex eo adhuc sit dicendum. Denique postquam Celebrans dicto Evangelio in planum descendit, facta cum illo reverentia dat birretum Diacono, & sequitur Celebrantem in Sacristiam euntem.

XIV. In Missa minus solemni ante Missam Calicem ad Altare defert, & Corporale explicat, & eumdem Calicem velo tectum supra illud deponit, & Celebrantem a dextris vestit. Ante aspersionem Aquæ benedictæ aspergillum eidem porrigit cum debitis osculis, uti & Manipulum & Casulam post aspersionem. In thurificatione idem, quod alias Diaconus facit. Dum Celebrans legit Epistolam, ipse accepto ex Credentia libro, & facta Altari reverentia solus vadit ad locum consuetum intra vel extra Cancellos, librum clausum & erectum ante pectus ferens, ibi Epistolam canit, & facta in reditu genuflexione ante medium Altaris, sine benedictionis petitione, aut manus osculo librum ad Credentiam portat. Ante Evangelium ministrat naviculam & cochlear Celebranti, ut semper alias, cum consuetis osculis, & postea vadens ad locum Evangelii, medium se inter Ceroferarios sistit, offert ad *Sequentia* thuribulum, & post finem Evangelii Celebrantem tribus ductibus, factaque ante & post reverentia incensat. Sub incensatione ad Offertorium eodem modo, ut ante Introitum omnia facit, nisi quod Cali-

cis pedem, si sit in sacris, tenere debeat, dum is a Celebrante incensatur, eumque parum removere, dum Crucis incensatio peragitur. Postquam autem ipse Celebrantem incensavit, & a Substituto vicissim est incensatus, accedit ad cornu Evangelii, & Celebranti ad librum servit. Quando Sacerdos dicit *quam oblationem*, facta ipse genuflexione transit ab Altaris mensa ad gradum superiorem, & a dextris Celebrantis flectit, ejusdemque Planetam sub elevatione tenet. Peracta elevatione surgit, genuflectit, & ad librum redit. Reliqua ut in Missa solemni peragit.

TITULUS V.
DE SUBSTITUTI OFFICIO.

I. ANte initium Missæ accipit librum Evangeliorum & velum pro Subdiacono, ampullas cum pelvicula, collocanda omnia ordine & decenter supra Credentiam. Diebus autem Dominicis etiam Manipulum & Casulam effert, & super Cancellos ponit ad cornu Epistolæ, quia aspersio Aquæ benedictæ facienda est. Præterea videt, an in Altari Crucifixus, Candelabra, & Candelæ debito numero sint paratæ & accensæ; an parata funeralia; an scamna pro Ministris & Assistentibus posita.

II. His constitutis juvat Diaconum & Subdiaconum in vestibus induendis. Quando exeundum est ex Sacristia, facta Cruci & Celebranti debita reverentia, sequitur ille sine socio ad latus, duos Ceroferarios, nudo capite, junctis & erectis manibus.

III. Ubi ad aram ventum, accipit a Diacono birretum, illudque cum reliquis supra sedes Celebrantis, Diaconi & Subdiaconi post genuflexionem ponit.

IV. Si aspersio Aquæ benedictæ facienda sit, accipit vas Aquæ benedictæ cum asperiorio stans a dextris Diaconi, porrigitque id illi sine osculo. Aspersione peracta accipit depositum a Celebrante pluviale, & in Sacristiam refert.

V. Ascendente Celebrante ad Altare, ipse cum reliquis surgit, accipit a Thuriferario naviculam, & sine nova genuflexione cum eodem ad cornu Epistolæ vadit, ibique stans a fini-

a sinistris dat naviculam semi apertam in manus Diaconi sine osculis. Ad initium incensationis tollit cussinum & librum apertum, & stans in plano a sinistra Cæremoniarii utrumque tenet usque ad finem incensationis.

VI. Circa finem Orationis ultimæ accipit a Credentia librum Epistolarum ambabus manibus, eumque ad Subdiaconum affert: & nisi ipse Cæremoniarius secundum Cæremoniale id faciat, eumdem Subdiaconum comitatur extra Cancellos, & canenti Epistolam a Sinistris parum a tergo assistit.

VII. Finita Epistola, si comitatus est Subdiaconum, redit cum eo ad Altare, & mox Thuriferarium ad Sacristiam comitatur, iterumque reducit. Circa finem Gradualis, accipit naviculam, accedit cum Diacono & Thuriferario ad partem Epistolæ, offert illi naviculam, & facta benedictione ab eodem iterum recipit.

VIII. Quando ad Evangelium cantandum extra cancellos prodeundum est, ipse ultimus Diaconum & Subdiaconum sequitur, & dum Evangelium ipsum canitur, post Diaconum a dextris Cæremoniarii facie ad Thuriferarium conversa consistit. Signat se Cruce, quando dicitur *Sequentia*; facitque inclinationem vel genuflexionem versus Crucem, quoties Diaconus se inclinat vel flectit ad nomen JESU: si vero ad nomen MARIÆ aut alterius Sancti se inclinat, versus Diaconum hæc inclinatio facienda est. Finito Evangelio Diaconum ad planum Altaris comitatur.

IX. Si Concio habeatur, Diacono Dalmaticam auferens super Cancellos decenter ponit, & Sellam Celebrantis ad locum, ubi Concio audienda est, portat, & absoluta a Concionatore, Evangelii lectioni ad eumdem locum ipse quoque ordine, quo ex Sacristia exiverat, accedit, & post Concionem ad Altare redit, Diaconum iterum vestit, & sedem Celebrantis refert. Paulo ante finem Concionis, si Sacristanus id non faciet, in Altari & super Credentiam candelas accendit.

X. Finito Symbolo dum Celebrans dicit: *Oremus*, comitatur Subdiaconum ad Credentiam, ibique velum illi porrigit, & juvat in eodem super Calicem ponendo: quo abeunte ad Altare, ipse velum parvum Calicis a Calice remotum complicat, & in Credentia ponit. Tum Thuriferarium ex

Sacristia deducit, & naviculam accipiens Diacono, ut supra ad primam incensationem, ministrat, & recipit. Ad initium vero incensationis amovet ab Altari cussinum cum libro, tenens illud in plano ad latus Evangelii stans, donec incensatio ex illa parte sit peracta, tum enim iterum reponit prope Corporale ad commoditatem Celebrantis, factaque genuflexione recedit per planum ad suum locum; peracta autem incensatione Thuriferarium iterum ad Sacristiam comitatur.

XI. Finita Præfatione procedit ex Sacristia, & genuflectit cum aliis Ministris in suo loco, donec Diaconus transeat ad dextram Celebrantis; tum enim accedens ad campanulam, eamdem ter pulsat, dum Hostia et Calix elevatur. Completa elevatione surgit, redit ad locum, facta genuflexione Thuriferarium cum aliis ad Sacristiam deducit, et reducit, ibique stans manet, nec genuflectit, etsi Diaconus Celebranti assistens genuflexionem faciat.

XII. Si Pax detur post *Agnus DEI*, ipse eamdem a Cæremoniario accipit, iterumque dat Thuriferario. Mox cum aliis Ministris genuflectit, usque dum Diaconus cum Subdiacono sumpta ablutione, per medium transeat, tum enim surgit, et erectus consistit.

XIII. Ad ultimam benedictionem cum aliis flectit, caput profunde inclinans, et dum ea datur, Cruce se signans. Finito Evangelio, Birreta afferens, Subdiacono suum porrigit, et ordine, quo egressus est, ad Sacristiam redit.

XIV. In Missa minus solemni ipse a sinistris vestit Celebrantem. Sub incensatione supplet locum Subdiaconi, reddita Thuriferario navicula, Planetam incensantis elevando, et quoties ille inclinationem Cruci facit, aut genuflectit, pariter flectendo. Dum Celebrans legit Epistolam, ipse eidem assistit, et finito ab eo Graduali defert Missale clausum cum cussino ad cornu Evangelii, ibique apertum collocat ad commodum Celebrantis. Ante Evangelium confert se ad cornu Epistolæ, et post incensum impositum ad cornu Evangelii, ibique ex latere se sistit. Ad incensationem sub Offertorio accedit cum Thuriferario, et naviculam Cæremoniario porrigit, iterumque Planetam incensantis elevat. Ad verba

Quam

Quam oblationem accedit cum Cæremoniario ad gradum superiorem, si commode fieri potest, & a sinistris flectit. Reliqua ut in Missa solemni peragit.

TITULUS VI.

DE THURIFERARII OFFICIO.

I. ANte Missam curare debet, ut habeat thuribulum accensis prunis, naviculam thure & cochleari instructam. Dato signo omnium campanarum præbet naviculam Diacono, & tenet thuribulum pro incenso imponendo, quo imposito, facta Cruci & Celebranti reverentia, progreditur primus a Sacristia, læva naviculam ferens, dextra thuribulum leviter agitans. Nicolaus Brallion tamen S. 2. c. 1. n. 3. putat, duos Ceroferarios cum candelis accensis præcedere, & post eos cæremoniarium, & reliquos de clero binos & binos subsequi debere, eo quod hic ritus, quo Thuriferarius omnes alios præcedere jubetur, superfluus videatur, & ad processiones quasdam, in quibus crux defertur, & ante eam incensum benedictum honoris causa, ut in processione Purificationis, pertineat. Verum hunc ipsum modum etiam Piscara l. 1. Sect. 4. n. 3. approbat.

II. Ubi ventum est ad Altare, genuflectit cum aliis, & dum post factam Confessionem Celebrans ad Altare ascendit, tradit Substituto naviculam, & cum eo ad cornu Epistolæ thuribulum ferens vadit, ibique unum genuflectens in supremo gradu, facie ad Celebrantem versa, tenet thuribuli annulum sinistra, dextra ipsum thuribulum in medio catenularum apertum, & ad altitudinem naviculæ elevatum. Facta benedictione incensi porrigit thuribulum clausum Diacono, & post incensationem Celebrantis ab illo iterum accipit, ad Sacristiam defert, & mox redit.

III. Post Epistolam cantatam, comitante Substituto ad Sacristiam pergit, & thuribulum cum navicula affert, & paulo ante finem Gradualis cum Diacono ad partem Epistolæ accedens, tenet, ut alias, thuribulum pro incenso imponendo, quod tamen facta benedictione ipse retinet in manibus, & accedens cum aliis ad Credentiam, facta genuflexione, ibi

ſtat, donec Diaconus benedictionem acceperit, tum enim accedit ad medium Altaris, et genuflectens, procedit poſt Cæremoniarium extra Cancellos, ibique dum cantatur Evangelium, poſt Diaconum a ſiniſtris Cæremoniarii ſe ſiſtit facie ad ſubſtitutum a dextris ſtantem converſa. Dum reſpondetur a Choro *Gloria tibi Domine*, porrigit Cæremoniario thuribulum, iterumque ab eo poſt incenſationem recipit. Finito Evangelio poſt Ceroferarios ad planum Altaris redit, ibique Diacono aut Cæremoniario thuribulum offert, et iterum acceptum in Sacriſtiam refert.

IV. Si Concio habenda ſit, ipſe Subdiacono Dalmaticam aufert, et ſuper Cancellos decenter ponit; poſtea cum aliis ad locum Concionis audiendæ accedit.

V. Poſt Offertorium accedit cum Subſtituto ad Sacriſtiam, affert thuribulum, ſicut in prima incenſatione offert Celebranti pro thure imponendo, et poſtea Diacono. Completa incenſatione Celebrantis ipſe cum Diacono in planum ad cornu Epiſtolæ vadit, ibique genuflexionem facit, et incenſato Subdiacono thuribulum a Diacono accipit, eumque pariter incenſat duplici ductu, ante et poſt inclinans caput. Quo facto incenſat Acolythos ad dextram et ſiniſtram, ac denique populum, refertque thuribulum in Sacriſtiam, et ibi uſque ad finem Præfationis manet.

VI. Finita Præfatione redit ad Altare, et facta genuflexione flectit uſque ad verba: *Quam oblationem*; tum enim facta iterum genuflexione ad cornu Epiſtolæ vadit, et flectens in ſecundo gradu, impoſito thure ſine benedictione, dum Hoſtia elevatur, ter eam incenſat, nimirum dum Sacerdos eam adorat, dum elevat, et dum deponit. Atque idipſum etiam ad Elevationem Calicis facit. Qua finita ſurgit, et genuflexione facta ad Sacriſtiam defert thuribulum, & mox reverſus ad Altare, poſt genuflexionem in ſuo loco ſtans manet.

VII. Quando poſt *Agnus DEI* pax datur, ipſe eam a Subſtituto accipit, & mox primo Miniſtro a dextris ſtanti eamdem dat. Finita Miſsa præit ad Sacriſtiam, ſicut in egreſſu, ita tamen, ut prope Sacriſtiam ſubſiſtens prius Celebrantem cum Aſſiſtentibus & Cæremoniario eam intrare ſinat, &

ubi

ubi ipse ingressus fuerit, Cruci primum, tum Celebranti reverentiam faciat, & Assistentes in exuendis vestibus juvet.

VIII. In Missa minus solemni thus ante egressum non imponitur, nec thuribulum secum effert, sed, si sit Dominica, vas Aquæ benedictæ præparat cum aspergillo. In incensatione vero prima & secunda, incenso benedicto, ponit naviculam supra Credentiam, & Cussinum cum Missali ex Altari tollit, & sustentat usque ad finitam incensationem; tum thuribulum in Sacristiam refert, quod, dum canitur Graduale, solus ipse iterum ex Sacristia reportat. Reliqua more solito peragit.

TITULUS VII.

DE OFFICIO CEROFERARIORUM.

I. ANte egressum accendunt suas Candelas, faciunt reverentiam Cruci & Celebranti, & primi post Thuriferarium exeunt, nudo capite, candelabra in manibus portantes.

II. Ubi ad Altare ventum est, genuflectunt, & candelabra ad Credentiam deferunt, & in anterioribus cornibus deposita relinquunt, hinc illinc prope candelabra flectentes, ante Confessionem se signant Cruce cum Celebrante, caputque inclinat cum illo, excepta Confessione; quando tamen Ministri faciunt Confessionem, etiam ipsi se profunde inclinant versus Altare, pectora percutiunt ad *mea culpa*; & ad *tibi pater* ad Celebrantem se vertunt. Si vero Aquæ aspersio facienda sit, tum stant apud candelabra, donec Sacerdos Psalmum *Judica* recitare incipiat.

III. Ascendente ad Altare Celebrante surgunt, & si ad *Gloria* sedendum sit, is, qui proximior est Diacono, eum juvat in Dalmatica supra sedem explicanda.

IV. Quando Diaconus pro Evangelio cantando benedictionem accepit; accedunt ad extremitates plani apud Altare, & facta genuflexione cum aliis, sequuntur Thuriferarium ad locum, ubi Evangelium canitur, & unus ad dextram alter ad sinistram Subdiaconi sistunt; nec umquam cum aliis caput

inclinant, aut genuflectunt. Finito Evangelio post Subdiaconum & Cæremoniarium ad medium Altaris accedunt, genuflectunt, & candelabra ad Altare portant, ibique manent stantes.

V. Si Concio habenda sit, extinguunt candelas suas, & sedes pro Ministris sacris ad locum pro Concione audienda deputatum portant, & post Concionem iterum reportant.

VI. Quando Celebrans Offertorium dixit, si cum ampulis, & pelvicula ad cornu Epistolæ accedunt, & alter ampullam vini alter ampullam aquæ Subdiacono offerunt, recipiuntque. Postquam vero Celebrans incensatus est, accedunt ad illum, & cum debita reverentia alter aquam affundit, alter mappulam primo plicatam ferens, deinde utraque manu extensam porrigit, recipitque.

VII. Finita Præfatione, accendunt candelas in majoribus candelabris, ubi mos est, quia tunc non adsunt alii, qui hoc faciant. Tum genua flectunt cum aliis Ministris usque ad finem elevationis.

VIII. Dicto *Agnus DEI*, si Pax datur, is, qui proximior est Acolytho minimo, ab eo Pacem accipit, statimque socio porrigit.

IX. Quando Celebrans Sacrum Sanguinem sumpsit, mature ipsi afferunt, unus quidem ampullas vini & aquæ cum pelvicula, alter vero velum parvum pro Calice tegendo, eaque sine osculis porrigunt Subdiacono, iterumque postea ampullas ad Credentiam portant.

X. Ad Benedictionem flectunt, capita profunde inclinant, & Cruce se signant. Finito vero ultimo Evangelio candelabra accipiunt, & in extremitatibus plani consistentes genuflectunt, & post Thuriferarium in Sacristiam redeunt, ita tamen, ut ante illam subsistant, & Celebrantem cum Assistentibus & Cæremoniario prius intrare sinant, in ingressu vero Sacristiæ Cruci & Celebranti reverentiam facere ne obliviscantur.

TITULUS VIII.
DE OFFICIO ACOLYTHORUM.

I. QUando Sonantibus omnibus campanis signum ad egressum datum est, faciunt cum aliis Cruci & Celebran-

branti profundam reverentiam : & in egressu sequuntur Substitutum in Cottis bini & bini, nudo capite, junctis & erectis manibus.

II. Ubi ad Altare ventum est, sua sedilia accedentes faciunt cum aliis genuflexionem, & stant usque ad initium Missæ, hac enim inchoata flectunt, faciunt crucem, & capita inclinant, quoties Celebrans id facit, excepta confessione. Quando tamen Assistentes confessionem faciunt, ipsi quoque profunde se inclinant, pectora percutiunt ad *Mea culpa*, & ad verba *tibi Pater* versus Celebrantem se vertunt.

III. Ascendente ad Altare Celebrante surgunt, & manent stantes suis locis, donec ad *Kyrie eleison*, & *Gloria* reliqui etiam sedeant, tunc enim & ipsi sedent, & ad signa a Cæremoniario data vel caput detegunt, & profunde se inclinant, vel surgunt circa finem Hymni.

IV. Quando cantatur a Diacono Evangelium extra cancellos, vertunt se ad Diaconum, ita tamen, ut tergum Altari non obvertant : & quoties ille Crucem format, vel genuflectit, vel ad nomen JESU caput inclinat profunde, ipsi quoque hæc omnia faciunt, sed versus Crucem inclinati : quando vero ad nomen MARIÆ aut alterius Sancti caput ille inclinat, ipsi versus Diaconum eamdem reverentiam faciunt.

V. Si post Evangelium Concio habenda sit, ipsi, postquam Celebranti & Assistentibus vestes detractæ sunt, scamna oblonga ad locum Concioni audiendæ deputatum portant, eoque se, recitato Evangelio, cum aliis conferunt. Finita concione vero ea iterum ad locum suum portant, ibique vel stant, vel sedent sub *Credo*, & ad signa Cæremoniarii inclinationes vel genuflexione faciunt, prout alios facere viderint.

VI. Dum post Offertorium a Substituto incensantur, thurificanti respondent capitis inclinatione, & quisque incensandus sequentem invitat ad honorem incensationis recipiendum. Dum vero Thuriferarius thuribulum ad Sacristiam reportat, ipsi quoque facta genuflexione eum sequuntur.

VII. Finita Præfatione regrediuntur ad Altare cum Thuriferario, funalia accensa ferentes, & Presbyterium ingressi suis quisque locis genuflectunt, & demissis in terram funalibus genuflexi manent. Dato vero primo signo elevationis funalia in altum ad pectus usque elevant, quæ tamen post illum iterum demittunt, & facta genuflexione sequentes Thuriferarium ad Sacristiam reportant, & ubi mox redierint, in suis locis stantes manent. In Missis tamen Defunctorum non nisi post finitam Communionem discedere debent juxta Gavant. *p.* 2. *tit.* 13. *n.* 3. *lit. D.*

VIII. Quando post *Agnus DEI* Pax datur; ipsi quoque a vicino Ministro Pacem accipiunt, & proxime astanti vicissim dant; tum genuflectunt usque ad transitum Assistentium per medium, tunc enim ita surgunt, ut cum Assistentibus a genuflexione erectis & ipsi erecti sint.

IX. Dum finita Missa ad Sacristiam reditur, eumdem ordinem servant quem in egressu tenuerunt; ubi tamen ad Sacristiam venerint, ante eam cum aliis in linea recta hinc & inde consistentes Celebranti, cui reverentiam faciunt, & dignioribus Ministris, prioris ingressus honorem relinquunt, & tum demum & ipsi ingressi Crucem prius, postea Celebrantem conveniente reverentia honorant, ac Cottas cum debita modestia deponunt.

TITULUS IX.

DE OFFICIO MINISTRI IN PRIVATA MISSA.

I. CUm ad quietem & devotionem Celebrantis non parum conducat, si Ministrum bene instructum habeat, ideo ut hanc quoque instructionem rite suscipere possit Sacerdos, operæ pretium videtur, ut ea etiam, quæ a tali Ministro specialiter observanda sunt, breviter hoc loco explicentur.

II. Prima itaque illius cura sit, ut ad manum habeat Sacerdos pyxidem Hostiarum apertam, juxta, non supra paramenta collocatam, ex qua cum accepta fuerit Hostia, clausam suo iterum reponat loco, deinde Sacerdotem in vestibus sacris

eris induendis apte juvet. Eum in finem Humerale, quod Sacerdos capiti imponit a tergo defluum, extremis angulis apprehensum, super humeros reducat, & inter scapulas replicet: Albam modeste per caput Sacerdoti inserat, & primo dextram, tum sinistram manicam aliquantulum elevet, & ut brachia commode Sacerdos inserat, juvet attrahendo, quantum satis erit; contractam vero ultra humeros Albam, ne iterum in brachia defluat, apte inter scapulas Sacerdotis colliget. Cingulum a tergo eidem in manus tradat æqualiter dispositum, & Albæ partes inferiores, si longiores sint, ita componat, ut nec vestes altiores sint, nec terram attingant: quando vero Sacerdos Stolam induit, advertat, num explicata sit, & Crux in medio consistat, manuque, si non sit rite applicata, suaviter reducat: Casulam denique sic superinducat, ut Sacerdotis caput non contingat. Ligamina vero Casulæ ita manu comprehendat, ut ne Sacerdoti eam induenti incommodent; quod si vero intra fissuram] Casulæ adhuc hæreant, ea inde opportune eximat, ne si postea primum attrahere volet, cum eam Sacerdos jam induit, eidem moleste in faciem involent.

III. Cum tempus est progrediendi ad Altare, librum accipiens in brachium sinistrum reclinet, & Sacerdotem oculis dimissis, corpore erecto, gravi & maturo incessu præcedat. Si transeat ante Altare, in quo Venerabile Sacramentum vel asservatur, vel consecratum est, genuflectat cum Sacerdote, eum non præveniendo, aut si forte elevetur, omnino in genua procumbat.

IV. Ubi ad Altare ventum est, accepto a Sacerdote pileolo, ipse genuflectat, etiam si Sacerdos ob absentiam SS. Sacramenti profundam tantum reverentiam faciat, quia sic in solemni Missa omnes facere jubentur, uti recte notat Bauldrius *p.* 3. *c.* 9. ubi etiam addit, cum Diaconus & Subdiaconus Rubricarum *p.* 2. §. 4. *num.* 7. jubeantur genuflectere, quoties ante Crucem transeunt, conveniens utique esse, ut idem etiam a Ministro privatæ Missæ observetur, licet idem Author non audeat improbare morem eorum, qui profundam tantum in transitu reverentiam faciunt, cum multi gravissimique Authores, ut ipse loquitur, id sentiant, ac praxis faveat.

V. Da-

V. Deposito birreto, non supra, sed extra Altare, & cancellis, si opus sit, clausis, ex sinistra parte in plano, non in æquali cum Sacerdote linea, sed paululum retro illum flectat, ac protensis junctisque manibus, cum eo Psalmum *Judica*, aliasque Preces, non irruendo in verba Sacerdotis, distincte, integre, nec nimis festinanter aut voce nimis remissa, recitet, Crucis signum faciens, quoties Sacerdotem facere id videt. Ad *Gloria Patri* caput cum eodem inclinet, uti & cum *DEUS tu conversus* dicit. Dum vero ipse Minister *Confiteor* dicere incipit, tum primum, non ante, corpus profunde inclinet, eumque situm, usque dum Sacerdos *Indulgentiam* pronunciare incipit, retineat; dum vero *Tibi Pater*, aut *Te Pater* dicit, modice se versus Sacerdotem convertat, & ad *mea culpa* pectus ter dextra, modeste & non sonore percutiat; sinistra interim pectori admota, quod etiam observat, quando signum Crucis facit.

VI. Ubi Sacerdos ad Altare ascendit, & ipse gradum ultimum sine ulla reverentia (cum non discedat a loco) occupet, aut, si tantum suppedaneum adsit, in suppedaneo quoque flectat, cum volet, & Sacerdoti ad omnia commode respondeat.

VII. In fine Epistolæ, ubi *DEO gratias* responderit, ad medium procedat, factaque ibi reverentia ad cornu Epistolæ accedens, ubi Sacerdos discesserit, librum accipiat, & repetita in medio reverentia in cornu Evangelii sic eum deponat, ut pars posterior cornu Altari respiciat & Sacerdoti obliquo situ Evangelium legenti sit accommodatus. Advertat tamen, an in Missa Defunctorum Sacerdos non sequentiam *Dies iræ* recitet, tunc enim non finita Epistola, sed ad verba: *oro Supplex & acclinis*: uti & in Missa Resurrectionis ad verba: *Sepulchrum Christi viventis*: in Missa Pentecostes: ad verba *Flecte, quod est rigidum*; tandem in Missa pro Festo Corporis Christi ad verba: *Bone Pastor panis vere*, surgendum erit ad deportandum librum ad cornu Evangelii, Sed & hoc etiam bene notandum, ut si Sacerdos statim post *Kyrie eleison* ad latus Epistolæ accedat, & varias Orationes ac Epistolas recitet, Minister neutiquam se loco moveat, donec post dictũ *Dominus vobiscum* iterum aliquã Epistolã absolverit,

rit,

rit. Quod si vero Sacerdos, dum prosequitur, quæ Epistolæ subjungi solent, genua flexerit, idem facere Minister debebit, si tum stare eum contigerit.

VIII. Cum Sacerdos ad Evangelium dicendum accedens ad illa verba: *Initium* vel *Sequentia* signo Crucis minore se signat, & ipse pollice solo similem Crucem faciat, & ubi SS. JESU nomen protulerit, caput versus Crucem (quod idem etiam sub Introitu, Orationibus & Epistola observandum est) inclinet: si autem Sacerdos genuflectit, & ipse versus librum genuflexionem faciat. In majore Hebdomade, in fine Passionis, dici debet *Laus tibi Christe.* Finito vero Evangelio sine reverentia in loco suo (ad cornu Epistolæ) iterum genuflectat.

IX. Ubi Sacerdos Offertorium dixerit, surgat, & facta eodem in loco reverentia ad Credentiam vadat, urceolos cum pollubro accipiat, atque ad Altare per gradus in cornu Epistolæ ascendat. Tum singulas ampullas, unam post alteram, manu dextra ad cinguli altitudinem elata, tenens apertas, & in summitate deosculans (non tamen manum Celebrantis) cum debita reverentia ante & post oblationem facta, Sacerdoti sic offerat (sinistra manu interim pectori admota) ut commode ab eo singulæ accipi queant. Subinde Mantile quoque sic præparans, ut facile apprehendi queat, arrepto aquæ urceolo & pollubro stans vel flectens in supremo gradu Altaris exspectet, donec Celebrans ad ipsum accedat, tunc enim cum osculo ampullæ & ordinariis reverentiis aquam affundet, & mox in vasculum ad id deputatum, aut angulum Altaris iterum effundet, urceolosque cum pollubro ac mantili, suo loco reponet, & quantum fieri potest, urceolos cum pollubro in Altari non relinquet.

X. Infusione absoluta, recta ad suum locum ex Epistolæ parte, non ad medium Altaris accedat, factaque reverentia, genuflectat. Cum Sacerdos dixit: *Orate Fratres*, Minister interjecta per brevi morula Orationem *Suscipiat* erectus dicat, sicut ad alia usque ad Præfationem, erecto quoque, non inclinato corpore respondendum erit: ad *Sanctus* vero tintinnabulum aut uno continuato sono, aut, ubi sic moris est, ter interrupto pulset, usque dum Sacerdos *Benedictus* dicat,

dicat, tum enim tintinnabulum in gradu versus Celebrantem deponens, ad cereum accendendum (postquam Sacerdos, finita memoria vivorum, manus iterum disjunxerit) præmissa in suo loco, non in medio (nisi forte per hoc ad alterum cereum accendendum transire deberet) reverentia se conferat, eoque accenso ad locum suum redeat, & usque dum Celebrans oblata signare incipiat, exspectet, atque ad medium facta reverentia accedens retro Sacerdotem flectat, Casulamque sine osculo (ut monet Bauldrius) moderate elevatam teneat, campanulam statim, cum Sacerdos incipit genuflectere, ad Elevationem Hostiæ & Calicis continuato, aut, ut Gavanto & aliis magis placet, ter interrupto sono pulset, donec post & Hostiæ & Calicis in ara repositionem Sacerdos iterum genua flexerit; moram vero trahet flectens eodem in loco, deposito interim tintinnabulo, dum Sacerdos Altare fuerit deosculatus, tum enim surget, ac præmissa genuflexione, repositurus suo loco tintinnabulum, ad cornu Epistolæ se reducet.

XI. Ad *Nobis quoque Peccatoribus*, *Agnus DEI*, & *Domine non sum dignus*: Semper etiam ipse cum Sacerdote percutiat pectus, & ad omnia, prout opus est, respondeat. Ubi vero Communio facienda fuerit, post dictum *Agnus DEI* surgat, factaque reverentia linteum pro Communicantibus, si opus fuerit, aptet: tum ad cornu Epistolæ in plano flectens, cum Celebrans Sacrum Sanguinem sumere incipit, ipse quoque junctis manibus, & inclinato corpore *Confiteor* dicat; ac postquam Sacerdos Communionem distribuit, ipse ablutionem post modicum intervallum porrigit, semper genuflectens, quoties Sacerdos cum SS. Sacramento ei occurrerit.

XII. Peracta Communione (aut si nulla fuerit, cum Celebrans sumpta Hostia Calicem discooperit) ad locum Credentiæ redeat, urceolos accipiat, & factis solitis osculis ac reverentiis, ante & post vinum pro Purificatione; pro ablutione vero etiam aquam post vinum, supra, non juxta digitos Sacerdotis infundat: in omni vero infusione mediocritatem teneat, nec nimis lente, nec nimis præcipitanter eam præstet,

nec

nec nimis multum, de aqua præcipue, nec nimis parum, de vino saltem, magis ad hoc obsequium necessario, infundat, observetque signum cessandi a Sacerdote dandum. Urceolos vero etiam, cum infundit, ita scite tractet, ut ne guttæ pone effluant, & pedem Calicis aspergant: ac repositis deinde urceolis ad locum Evangelii per longiorem viam accedat, librumque omissis interim aliis omnibus, ne impedimento sit Sacerdoti Calicem compositurо, ad cornu Epistolæ, facta semper in medio reverentia portet, Cereos pro Consecratione accensos extinguat, atque ad cornu Evangelii recedens flectat, & apte ad omnia respondeat: maxime, cum per Octavam Paschæ ad *Ite Missa est* Alleluja duplicabitur, noverit sibi quoque ad subjungendum *DEO gratias* Alleluja duplicandum esse. Et in Quadragesima se inclinat, etiam genuflexus ad Orationem super Populum, incipiens statim ac Celebrans incipit dicere: *Humiliate capita vestra DEO;* Gerlac. *p.* 2. *tit.* 16. *n.* 40.

XIII. Post ultimam Orationem, si Sacerdos librum apertum reliquit, ipse illum ad cornu Evangelii more solito deportet, ac oblique, ut supra dictum est, collocet, iterumque finito Evangelio reportet. Si vero clauserit librum, in suo loco immobilis perseveret, donec Sacerdos Benedictionem dederit, aut sine illa (ut fit in Missa Defunctorum) ad cornu Evangelii accesserit, ad Benedictionem inclinatus, & se quoque signo Crucis signans eumdem accipiat, surgensque, & facta in medio reverentia ad cornu Epistolæ accedens, ad illa verba, *Initium S. Evangelii*: minorem Crucem faciat, finitoque Evangelio primum, & non ante, Cereos (nisi aliud facere consueverit) a parte Evangelii incipiens, deinde primum in parte Epistolæ, juxta Gerlac. *p.* 2. *tit.* 16. *n.* 24. *& alios*, extinguat, cavens tamen ut non fumigent; deinde librum ab Altari sumat, & porrecto Sacerdoti birreto, eumdem præmissa reverentia ad Sacristiam antecedat, &, si in transitu alicubi genuflexio facienda est, Sacerdotem non præveniat, sed simul cum eo genuflectat, ut initio dictum est, denique ad limen Sacristiæ consistens, ac reverentiam Sacerdoti, & Cruci faciens, deposito libro, eumdem in vestibus exuendis juvet.

XIV.

XIV. Tempore autem hyemis, singularem curam habebit luminum, quæ cum necesse fuerit, emunget ea solertia, ut quam minime interim molestus, vel impedimento sit Sacerdoti: secundariam quoque candelam ad librum ita apte collocabit, ut sine nova opera Sacerdotis, rite semper serviat: &, cum Evangelium legetur ex libro, sive in Missæ initio, sive in fine, opportune retro Sacerdotem, inter Calicem & librum apponet: quæ vero in clathris erunt Communicantium, ita disponet æquis intervallis, ut quocumque progrediatur Sacerdos Communionem distribuens, semper habeat ad id genus Officii necessariam lucem, nisi illi singularis a quoquam candela præferatur.

XV. Si bini fuerint Ministri, simul quidem accedere ad Altare ante Sacerdotem, & recedere: simul etiam ad infusionem vini & aquæ se conferre: cereos pro elevatione, si plures accendendi sint, accendere; sub ipsa elevatione Casulam Sacerdotis elevare, & ad omnia Sacerdotis (nisi malit unicus id præstare ad confusionem vitandam) respondere poterunt: reliqua tamen ita inter se dispertient, ut is, cui magis convenit quæpiam actio, eam suscipiat; dum vero liber ad alteram partem portandus est, in medio concurrentes & flectentes genua, loca permutent: Sub magna autem Communione, si duo scyphi adsint, alternatim ablutionem porrigant; si vero unum tantum vasculum adsit, is, qui a dextris est, solus id faciat, alter interea a sinistris in plano flectat, aut ubi opus est, in hyeme Sacerdoti Communionem distribuenti candelam præferat.

XVI. Denique quod Rubricæ Sacerdoti Celebraturo præscribunt, id ipse quoque sibi observandum meminerit, ut scilicet post inchoatum Sacrum non curet amplius, quid in aliis Altaribus fiat, sed perinde se gerat, ac si nullus præter suum Sacerdotem in templo celebraret.

PARS

PARS IV.

DE MISSIS PARTICULARIBUS.

HActenus de Cæremoniis Missæ in genere actum; nunc quoniam experientia ostendit, multos potissimam fere difficultatem in Missis quibusdam particularibus dicendis experiri, visum est, non inutile futurum, si & harum Cæremoniarum breve quoddam compendium ipsis offerretur, quod in præsenti præstabitur.

TITULUS I.

DE MISSIS CORAM VEN. SACRAMENTO EXPOSITO LEGENDIS.

I. QUando accedit Celebrans ad Altare, statim ac Presbyterium vel Capellam ingreditur, ubi est Sacramentum expositum, detegit caput; &, cum finito Sacro recedit, non prius tegit, quam ex iisdem egressus sit. NB.

II. Ubi ad medium Altaris pervenit, & finita Missa recedit, flectere debet utroque genu, & caput devote inclinare: deinceps tamen unico tantum, ut expeditior sit ad Cæremonias. Ita Gavantus: quæ tamen, si ejus doctrina *p. 2. tit. 14. toto* bene consideretur, de solemnibus Missis, non de privatis intelligenda erunt. Quod si ergo consuetudo habeat, ut etiam in accessu, & recessu maxime in privatis Missis, unico tantum genuflectat, eidem se accommodare poterit.

III. Accedens ad medium Altare vel recedens semper genuflectit, convertens vero se ad Populum, dum dicit *Dominus vobiscum*, aut *Orate Fratres*, facta genuflexione post osculum Altaris, sistit se versus Evangelii cornu, tum facta iterum genuflexione in medio, redit ad librum vel Altare.

IV. Cum in planum descendit Missam inchoaturus, ge-

nuflectit iterum, non tamen insuper, ut aliqui, profundam reverentiam facit, & Missam incipit.

V. Quando post Offertorium manus lavandæ sunt, Gavantus, Arnaudus, & Bauldrius monent, hanc lotionem extra gradum Altaris etiam in privata Missa faciendam esse; quia tamen omnes fere in nostris partibus supra gradum lavant, poterit se iisdem Celebrans accommodare; attendat tamen, ne tergum in hac lotione Venerabili obvertat; sed potius se nonnihil ad latus vertat, ut quasi Altare aspiciat.

VI. In benedictione Populi dicto *Omnipotens DEUS*, genuflectit, & in latere Evangelii benedicit, non perficiens circulum, sed vel ad medium rediens iterum genuflectit (ut multi graves viri malunt) vel statim ad latus conversus (ut cum Gavanto plerique Rubricistæ monent) signat librum aut tabellam ultimi Evangelii, & nullo modo Altare.

VII. Quando datur Populo Benedictio cum Sacramento, format Crucem nihil dicens. Rituale Romanum. NB.

VIII. Quando exponitur Ven. Sacramentum pro Oratione 40. horarum, Missa solemnis dici debet de eodem, prout inter Missas votivas assignatur cum unica Oratione, *Gloria* & *Credo*, quia est publica causa; non tamen de eo dici debent Missæ privatæ, si est Festum duplex aut de Præcepto. Si in Festo primæ Classis vel secundæ, vel Dominica Privilegiata fiat hæc comprecatio, Missa de Festo, vel de Dominica dicenda est cum Commemoratione SS. Sacramenti; si unica tantum dicatur Missa; si vero plures, & earum aliquæ de Festo vel Dominica dicantur, poterit Missa solemnis de Venerabili sine Commemoratione Festi, aut Dominicæ cantari. Gavant. *p.* 2. *tit.* 14. *n.* 4.

TITULUS II.

DE MISSIS VOTIVIS.

MIssa Votiva proprie loquendo juxta Gavantum & alios ea dicitur, quæ ex voto, id est, arbitrio Sacerdotis celebratur, & nullo modo ab Ecclesia aut Rubricis præscribitur. Unde, ut alibi jam monui, non bene aliqui dicunt, omnem illam

illam Missam Votivam esse, quæ ab Officio discordat, cum Missa Rogantium Feria II. & Vigiliæ infra Octavam etiam discordet ab Officio, nec tamen Votiva proprie dici queat. Porro tria de his Votivis quæri possunt. 1. Quando dici queant. 2. Qualis Missa dici debeat. 3. Quæ partes in tali Missa retinendæ vel omittendæ sint.

§. I.

Quo tempore dici possint.

I. UT quæstio hæc, quæ non parum vexat novos Sacerdotes, experientia teste, solide, clareque ex probatorum Auctorum sensu resolvatur, per aliquot pronuntiata decidetur. Itaque ut certiora ab incertis sejungantur, certum est in primis, posse per consuetudinem, maxime etiam a sede Apostolica approbatam, introduci, ut quotidie Votiva, v. g. de B. Virgine legatur, sic enim P. Gobat. *tr.* 3. *Cas.* 21. *n.* 720. testatur, de facto in Cathedrali Ecclesia Constantiensi quotidie post matutinas horas, etiam in die Paschatis, Officium de B. Virgine cantari, eamque consuetudinem legitime introductam probat Layman. *tr.* 5. *c.* 1. *n. ult.*

II. Certum est pariter, posse loco Missæ principalis, seu Conventualis, Missam votivam dici, infra hebdomadem, quocumque die, quando Officium fit de Feria minore, cum debita ejus commemoratione, (exceptis scilicet Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum) & quando non est resumenda Missa Dominicæ præcedentis, suo loco celebrari impeditæ, Rub. *tit.* 4. *n.* 5. (De anticipandis Dominicis, idem esset judicium, de quibus hic quidem non est sermo, quia in Ferias per se exceptas incident) Notandum est tamen, in hoc casu Missam votivam, ordine dierum prout in fine Missalis cuique diei sua assignatur, dici debere; non autem ad libitum Cleri, aut Laicorum, quamcumque votivam promiscue dici posse, Gav. *p.* 1. *tit.* 4. *in fine.*

III. Certum est quoque Missas votivas, pro Missis privatis, infra hebdomadem dici posse pro arbitrio Sacerdotis,

quocumque die non est Duplex cum commemoratione ejus; de quo est factum Officium, & Festi Simplicis, eo forte die occurrentis. Rubr. *ibid.* Id tamen, quod hoc & præcedenti loco dictum est, passim non fiat, & non nisi rationabili de causa, ut Rubrica monet.

IV. Certum etiam est, in Dominicis, a Rubricis ejusmodi Missas votivas prohiberi, uti colligitur tum ex *cit. tit.* 4. ubi dicitur *aliis diebus infra hebdomadem*: tum ex Rubrica post votivas Missas de B. Virgine, ubi expresse dicitur alias Missas votivas, quæ subjunguntur, posse extra Dominicas & Festa Duplicia dici. Intelligi tamen debet per Dominicam, ea, quæ a Populo celebratur. Gavant. *p.* 1. *tit.* 4. *litt. O.* Hinc infra hebdomadem, cum Missa Dominicæ, quæ suo loco celebrari impedita fuit, resumitur, vel anticipatur, Missa quidem votiva eo die dici poterit, sed privata; non autem loco Missæ principalis, ut supra *num.* 2. dictum est.

V. Certum est easdem Votivas etiam iis diebus prohiberi, quibus Missa de Duplici Festo fieri non potest, quales sunt dies infra Octavam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Feria IV. Cinerum, Feriæ omnes Hebdomadæ majoris, Vigiliæ Nativitatis & Pentecostes, uti S. Rituum Congregatio 18. Aug. 1627. decrevit apud Gavant. *p.* 1. *tit.* 4. *litt. O.* Et novo Decreto Clementis X. die 21. Junii 1670. prohibentur omnes votivæ infra Octavam Corporis Christi. His ergo suppositis, quæstio inter Rubricistas in eo solum versatur, an prohibitio ista consilii tantum, an vero etiam præcepti sit: item an rigide adeo sit facta, ut propter rationabilem causam etiam in supradictis diebus votivam Missam dicere non liceat; ad quas breviter ex aliorum potius sensu, quam meo respondebo.

VI. Etsi per se loquendo illud sacrum sit legendum, quod Rubricæ præscribunt: hæ enim ad minimum vim Consilii valde prudentis & pii sortiuntur, (cui merito se quisque conformare debeat, teste P. Gobat. *n.* 701.) probabile tamen est, prædictas Rubricas sub nullo præcepto, atque adeo nec peccato, si scandalum absit, obligare, uti idem Auctor cum Suar. Dicastillo, Bonac. Reginald. Pax Jordano, & aliis docet, quia nec lex ulla scripta, nec consuetudo

nec

nec alia auctoritas allegari potest, per quam ejusmodi obligatio sit introducta; & Pii V. Bulla vetans *alio Ritu*, quam Missale præscribat, celebrari, facile explicari potest, de aliis formis Missalium, uti in simili de Breviario respondent Auctores.

VII. Pro causa publica potest Missa votiva dici in omnibus Festis etiam Duplicibus (modo non sint primæ Classis) ita Gavantus *p.* 1. *tit.* 4. *lit. O.* cum Diana & pluribus apud hunc cit. Causam autem publicam vocat cit. Auctor *p.* 1. *tit.* 8. *lit. B.* eam, pro qua totus Clerus cum Episcopo (intellige, ubi hic reperitur) convenire solet, quales sunt, si votum pro malo gravia vertendo factum sit exsolvendum, aut gratiæ pro accepto aliquo grandi beneficio solemniter sint agendæ, aut comprecatio quadraginta horarum instituta &c.

VIII. Seclusa speciali prohibitione probabile est, ob quamcumque *rationabilem* causam licitum esse, Missas votivas in quovis Festo Duplici, non majori saltem, legere. Ita P. Gobat *n.* 708. cum Henriquez, Tannero & aliis. Porro pro causa rationabili ipse sequentes agnoscit. 1. Ut satisfiat Fundationi, quemadmodum multi sentiunt. 2. Juxta alios, & nominatim juxta Jordanum *n.* 500. *promissio & stipendium*, acceptum pro certa Missa. 3. *Malum publicum* vel *privatum* avertendum, *bonumve* procurandum. 4. Quando Sacrum ordinarium est valde longum, & nequit sine incommodo notabili vel sacrificanti, vel Audientis dici; quo modo facile permittenda est mutatio Missæ, in qua Passio Dominica legitur, in Votivam de Passione, si Audiens vel Sacrificans debilitate capitis, oculorum, pedum, viscerum laboret, Tambur. *l.* 2. *c.* 6. §. 1. *n.* 12. 5. Singularis devotio vel Facturi, vel Audituri sacrum. Dico *Singularis:* si enim vulgaris sit, melior est conformatio cum Rubricis, quia per subiectionem gratius DEO obsequium præstatur. *d.* 4. 28.

IX. Infra Octavas B. Virginis non convenit dicere Votivam de eadem, sed si fiat Officium de Octava, dicatur Missa conveniens Officio cum *Gloria & Credo*; si vero infra ejusmodi Octavam fiat Officium de aliquo Sancto, & eo die votiva dici debeat de B. Virgine, dicatur Missa festiva, de

Octava, omisso *Gloria* & *Credo*. Atque hoc etiam in Votivis aliorum Sanctorum Octavam habentium observandum est. Gav. *l. c. lit.* P.

X. Missæ votivæ de Spiritu Sancto, de B. Virgine, & pro Defunctis, quæ præscribuntur Presbyteris in eorum ordinatione dicendæ post Celebrationem primæ eorum Missæ, sequuntur regulas votivarum, atque adeo dici non possunt illis diebus, quibus aliæ Votivæ prohibentur. Gav. *p.* 1. *tit.* 4. maxime cum hæ Missæ omnino non injungantur sub peccato, sed solum ex congruitate quadam & decentia, uti Valentia *to.* 3. *d.* 5. *puncto* 1. §.2. Castropal. & alii multi sentiunt, apud P. Gobat in Alph. Sacrif. *n.* 713.

§. II.

Quæ Missa dicenda sit.

I. IN Missis Votivis de Sanctis vel dicitur Missa propria, si habetur, mutatis in collecta verbis *Natalitia*, *Festa* & hujusmodi in verbum *Commemoratio*, desumptis item Tractu, Graduali, vel Versibus cum *Alleluia*, si opus est, ex Missa de Communi; vel certe tota Missa dicatur de Communi, prout ratio temporis requirit.

II. Dubitant hic nonnulli 1. An, si Mulieres prægnantes pro felici partu petant tres Missas, scilicet ad honorem Nativitatis Christi, B. Virginis, & S. Joannis Baptistæ, dici in tali casu debeant hæ tres Missæ ex Festis ipsis, mutatis mutandis, ut præcedente numero dictum est, desumi, an vero aliæ ad hanc intentionem legi? Qua in re non idem omnium est sensus & opinio. P. Paulus Hoffeus Societatis nostræ Assistens olim hac de re quæsitus, respondit, ejusmodi petitioni morem non gerendum, utpote clare Concilio Tridentino Sess. 22. de celebr. Miss. contrariæ, ubi ait, quarumdam Missarum & Candelarum certum numerum, qui magis a superstitioso cultu, quam a vera Religione inventus est, omnino ab Ecclesia removendum esse. In eamdem sententiam conspirarunt etiam Gavantus *p.* 4. *tit.* 17. *n.* 8. & Arnaudus *tr.* 1. *p.* 4. *tit.* 17. *n.* 9. ubi ajunt, si Missa votiva de Assumptione, aut Nativitate B. Virginis, aut ejusmodi petatur, dici posse unam

unam ex quinque votivis ejusdem, cum intentione ad honorem Assumptionis B. Virginis, eo quod non deceat dicere: *Gaudeamus omnes in Domino diem Festum &c.* aut verba *diem Festum in Commemorationem* mutare; & præterea alia etiam inconvenientia sequantur, quæ tamen citati Auctores non exprimunt. Specialis tamen in nostro casu difficultas esse posset in Missa de Nativitate Christi dicenda; cum enim in hoc Festo tres Missæ assignentur, nulla videtur commode pro Votiva accipi posse; non prima, quia ad noctem dirigitur, ideoque difficilis est Orationum immutatio; non secunda, quia Evangelium non tam est de Nativitate Christi, quam de Pastorum adventu ad Præsepe: non tertia, quia in fine habet Evangelium de tribus Regibus, quod videtur parum convenire pro Missa votiva extra tempus Festorum Nativitatis & Epiphaniæ dicenda. His tamen non obstantibus, passim practicatur opposita sententia, scientibus, & non contradicentibus Superioribus, eo quod non appareat ratio, cur de aliis Sanctis Missæ votivæ ex proprio Festo Sanctorum desumi queant, & non idem etiam de Missis votivis Nativitatis Christi, B. V. & sancti Joannis Baptistæ dici possit. Neque enim superstitio timenda est, cum non in numero sistat devotio petentium, sed in Mysterio dumtaxat. Neque etiam in Missa eligenda pro Votiva Nativitatis difficultas absterrere debet, cum facile possit sumi Missa de Octava Nativitatis quæ incipit: *Puer natus est nobis*, & tota facile est ad hunc finem applicabilis. Ego nec damnare omnino volo hanc devotionem, si alicubi forte cum Superiorum approbatione inducta est, nec omnino approbare, sed potius suaderem, ut, qui petunt ejusmodi Sacra pro se legi, capaces, si fieri possit, redderentur, ut persuadeant sibi, quodvis aliud Sacrum ex approbatis ab Ecclesia servire posse ad finem, quem intendunt; imo magis forte efficax fore propter reverentiam & obedientiam, quam Ecclesiæ proprium suum judicium abnegando & subjiciendo exhibent.

III. Dubitant alii 2. An, & quæ Missa dicenda sit de quatuordecim in Auxiliatoribus, nempe de SS. Gregorio, Vito, Blasio, Dionysio, Panthaleone, Erasmo, Cyriaco, Christophoro, Achatio, Eustachio, Ægidio, Catharina, Margaretha, Barbara, si petatur? Ad quod dubium respondet primo Ga-

vantus *p.* 4. *tit.* 17. *n.* 14. Missam specialem, quæ de his Sanctis Venetiis impressa est, penitus rejectam esse a S. Congregatione die 16. Jan. 1617. ita ut neque retineri possit in Missali sub pœna librorum prohibitorum. Resp. 2. Si specialis devotio petentium Missam de his Sanctis requirat, posse Missam de pluribus Martyribus ex communi Sanctorum legi; tum quia plures ex his Sanctis Martyrio coronati sunt, atque adeo major pars minorem ad se trahit: tum quia, cum nullus in iis Apostolus contineatur, proximi dignitate sunt ipsi Martyres, atque adeo etiam ex hoc capite merito de ipsis potius, quam Confessoribus vel Virginibus Missa legitur, maxime cum pro pluribus Martyribus Missa propria, non item pro Confessoribus reperiatur.

§. III.

Quæ partes dicendæ vel omittendæ.

I. IN Votivis, etiam infra Octavam, nunquam dicitur *Gloria* & *Credo*, nisi in Missis Angelorum, & B. Virginis in Sabbato (in quibus dicitur *Gloria* sine *Credo*) & quando fit Missa solemnis pro re gravi vel publica causa. Si tamen etiam tunc adhibeantur paramenta violacea, non debet dici *Gloria* & *Credo* (extra Dominicam, in hac enim semper *Credo* dicitur) uti S. Rituum Congregatio decrevit. Quando Missa votiva dicitur eo die, quo Sanctus aliquis obiit, convenit dicere *Gloria*, etiamsi non sit dictum Officium de eo, Arnaudus *tit.* 8. *n.* 1.

II. In Votivis privatis de aliquo Sancto, pro Gratiarum actione, secunda Oratio erit de Officio, tertia pro Gratiarum actione. In Missa vero solemni dicuntur quæ tantum assignatæ in proprio loco, id est, una, vel Missæ SS. Trinitatis, vel Spiritus Sancti, vel Beatæ Virginis, & altera pro gratiarum actione, sub una conclusione. In aliis Votivis privatis, proprie gratiarum actionis, prima oratio erit, ut in Missa solemni, secunda de Officio, tertia, quæ alioqui secundo loco fuisset dicenda. Juxta superius dicta. *p.* 2. *tit.* 21. *num.* 5.

III. In Feriis Adventus, si dicantur Missæ Votivæ de Passione, vel pro peccatis & aliæ, non est omittendus Versus

cum

cum suo *Alleluia*, quia non sunt Missæ de Tempore. Si vero infra Octavam Paschæ ob gravem aliquam causam contingat dici Missam votivam, non dicitur Graduale, licet illud dicatur de Tempore: sed dicuntur duo Versus cum suis *Alleluia*: & in fine Missæ dicitur *ite Missa est* sine duplici *Alleluia* Arnaud. *tr.* 1. *tit.* 17. *n.* 5. ex Gavanto *p.* 4. *tit.* 16. *n.* 12.

IV. A Septuagesima usque ad Pascha in Votivis, quæ dicentur, semper dicitur Tractus, etiam iis diebus, in quibus non dicitur in Missa Feriæ. Arnaud. *l. c. n.* 3.

V. Psalmus *Judica & Gloria Patri*, ad Introitum, & in fine Psalmi *Lavabo* dicitur in omnibus Votivis, etiam tempore Passionis, licet non dicatur in Missis de Tempore Arnaud. *l. c. n.* 4.

VI. Præfatio propria dicitur, si eam habet Missa Votiva, si non habet, dicetur de Tempore, vel Octava, vel Communis. Infra Octavam tamen Nativitatis dicitur Præfatio de Nativitate, licet Votiva propriam habeat. *Communicantes*, & *hanc igitur* dicitur, si Votiva dicatur infra Octavam, quæ illud habet. Gavant. *tit.* 12 *litt. G.*

VII. Pro Evangelio ultimo in his Missis semper S. Joannis Evangelium sumitur.

TITULUS III.

DE MISSIS PRO DEFUNCTIS.

Etiam de his tria consideranda veniunt. 1. Quando dici possint. 2. Quæ Cæremoniæ in iis sint observandæ. 3. Quomodo Absolutio peragenda sit.

§. II.

Quando dici possit.

1. Missæ privatæ pro Defunctis dici possunt quocumque die, quo licitum est Votivam Missam celebrare. Gavant. *p.* 1. *tit.* 5. Imo etiam in Duplici Festo (modo non sit Christi solemne) dici posse talem Missam, docent probati Auctores apud Dianam *p.* 3. *tr.* 6. *resol.* si tamen id exigatur.

Verum

Verum quia Alexander VII. & Clemens IX. ſpeciali decreto vetuerunt, ne in Duplicibus ejuſmodi Miſſæ votivæ legantur, conceſſeruntque, ut Indulgentiæ, quæ alioqui non niſi per Miſſam de Requie in Altari privilegiato obtineri poterant, etiam per Miſſam de Feſto occurrente dictam impetrari queant, ideo ſaltem, ubi promulgatum eſt ejuſmodi decretum, obſervari debebit. Sed infra Octavam Corporis Chriſti, Miſſæ de *Requiem* pro Defunctis prohibitæ ſunt novo Decreto Clementis X. die 21. Junii 1670.

II. In Dominicis & Feſtis, quæ non ſunt primæ Claſſis, Miſſam inſepulto, hoc eſt præſente corpore in Eccleſia, conceſſit SS. Rituum Congregatio 25. Maii 1603. quod Arnaudus *p.* 1. *tit.* 5. *num.* 4. intelligendum putat de ſolemni Miſſa tantum, non de privatis, quæ etiam præſente corpore dici non poſſunt in Dominicis aut Duplicibus.

III. Nota, quod, cum Rubrica *tit.* 5. *n.* 1. & 2. dicit, debere prima die Menſis, & Feria II. Hebdomadæ Miſſam *Conventualem & principalem* fieri pro Defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus, & aliis, ſi Duplici vel Semiduplici non ſint impeditæ, & tempora Adventus, Quadrageſimæ, & Paſchale non currant, nullo modo de privatis Miſſis intelligenda ſit, unde ſine culpa omitti poſſunt, ſive Miſſa ipſa, ſive Commemoratio tantum præſcribatur, & ſi legatur Miſſa, per modum votivæ legenda eſt. Arnaud. *tit. c. n.* 3.

§. II.

Quid obſervandum ſit in talibus Miſsis.

Ritus Communis.

1. SI Miſſa pro Defunctis dicenda ſit inter tertium & ſeptimum, vel inter ſeptimum & trigeſimum, Miſſa quotidiana, & non una ex ſupradictis dici debet.

II. Non omittuntur oſcula Paramentorum, cum ſe Sacerdos induit. Gavant. *p.* 2. *tit.* 13. ſed omittitur Pſalmus *Judica*. Non ſignat ſe Cruce ad introitum, ſed librum, qua aliquid benedicens, ſiniſtra interim ſuper librum poſita. Non dicitur *Gloria patri* ad Introitum, nec ad *Lavabo*, omit-

mittitur *Gloria in excelsis*, *Jube Domine benedicere*, Osculum libri in fine Evangelii cum verbis tum dici solitis. Omittitur *Credo*, Benedictio Aquæ. Percussio pectoris ad *Agnus DEI.* Oratio pro Pace, Benedictio Populi. Minister quoque non osculatur ampullas, quas Celebranti porrigit. Gavant. *l. c. litt. R.*

III. Quando omisso Sacro funebri celebratur Festivum, non opus est, ut Collecta funebris inseratur, etiam præsente corpore, imo nec licere quidem in Duplicibus, adversus Navarr. docent Gavantus & Fraxinellus apud P. Gobat. *n.625.* eo quod Rubricæ non permittant iis diebus plures Orationes, nisi pro re gravi. Unde qui ordinarie id factitaret, censeretur inducere novum Ritum, quod tamen prohibet Clemens VIII. in Bulla Missali præfixa. Ex quo fundamento etiam reprobat idem P. Gobat. *n.626.* praxin illorum Religiosorum, qui omnibus Duplicibus per annum Collectam pro Defunctis subjungunt Orationi de festo, ut ex indulto Gregorii XIII. a pœnis Purgatorii liberent Animam, prout in Altari privilegiato dicentibus Collectam pro Defunctis concessum est. Si tamen in aliqua Ecclesia sit legitime introducta consuetudo, ut in Festis non summis, præsente corpore, Collecta inseratur uti Constitutiones Synodales Diœcesis Constantiensis. *p. 1. tit. 9. n. 12.* permittunt, potest hæc permissio ob suam antiquitatem tuto usurpari. NB.

IV. Si in Missa pro defunctis dicendæ sunt plures Orationes, tum si Missa dicatur pro Sacerdote, primo loco dicatur Oratio *Præsta quæsumus.* Si pro alio Defuncto, *Inclina Domine.* Si pro pluribus *Animabus*, aut *DEUS, cui proprium*, Secunda & tertia erunt, quæ secundo & tertio loco ponuntur in Missa quotidiana Defunctorum, & Oratio *Fidelium* semper dicitur, & est ultima in his Missis; secus vero, si in Missa pro Vivis per modum Collectæ dicatur, tunc enim semper secundo loco dicenda est, & tum commemoratio de aliquo Sancto, si qua facienda sit, tertio loco dicenda erit. An vero in Festis Semiduplicibus fieri possit Commemoratio pro Defunctis secundo loco ponenda, quando alioqui tertia Oratio ad libitum est concessa, dubitant nonnulli, eo quod nulla ejusmodi Oratio inter Orationes ad libitum dicendas circa finem Missalis assignata fuerit. Sed communis praxis contra-

trarium habet; & merito, cum enim Rubrica tertiam Orationem ad libitum concedens non distinguat, & Commemorationem pro Defunctis non excludat, neque nos distinguere debemus, & eamdem Commemorationem excludere; neque credibile est, Ecclesiam voluisse Defunctos tanto subsidio privare, quod ex Orationibus ad libitum frequenter satis occurrentibus percipere possunt, maxime cum ad lucrandas indulgentias Altaris privilegiati frequenter ejusmodi Commemoratio requiratur. Neque obstat, quod nulla ejusmodi Oratio inter Orationes ad libitum ponatur; nam neque pro pace, pro belli necessitatibus avertendis, pro infirmis, pro morituris ulla ibi Oratio reperitur, & tamen nemo utique negabit, licere pro tertia Oratione ad libitum, unam ex Missis votivis pro pace, infirmis, morituris &c. accipere. Sufficit ergo, quod illa Oratio alibi in Missali reperiatur. Etsi vero in tali casu plerumque Oratio *Fidelium* sumatur, non video tamen, cur non posset alia quoque, v. g. pro Sacerdote, pro Patre vel Matre Celebrantis, pro uno Defuncto sumi, sicut de facto in Ecclesiis sumitur, quando præter Missam pro Defunctis in die obitus, vel tricesimo, etiam alia adhuc de B. Virgine cantatur.

V. Oratio pro Patre & Matre Sacerdotis non dicitur pro aliorum Patre & Matre; & quando dicitur, pro alterutro tantum, semper dicitur initio Collectæ: *DEUS, qui nos Patrem & Matrem* &c.

VI. In Missis Defunctorum nulla dicitur Oratio pro Vivis; nec ea, quæ est communis Vivis & Defunctis.

VII. In fine Epistolæ Sequentia pro Defunctis dicitur, quandocumque dicta est una tantum Oratio in Missa: cum plures dicuntur, omittitur ad arbitrium Sacerdotis. Rubr., Arnaud. *tr.* 1. *p.* 1. *tit.* 5. *n.* 11.

VIII. Præfatio semper communis dicitur.

IX. *Agnus DEI.* dicitur conjunctis ante pectus, non positis super Altare manibus. *Rubrica.* Quod si fiat Communio Populi intra Missam, (quod communiter fieri non deberet, juxta Gerlac. *p.* 2. *tit.* 10. §. 21., *& alios*) nulla dati debet Benedictio. Gavant. *p.* 2. *tit.* 13. *litt. V.*

X. Dicitur in fine *Requiescant in Pace*, licet pro uno dumtaxat dicta sit Missa.

XI.

XI. Canticum & Psalmus post Missam pro gratiarum actione dicuntur cum *Gloria Patri*, ut alias, Gerlac. *p.* 2. *tit.* 13. §. 7. Duplicatur Antiphona, cum in Missa una Oratio dicitur, & tempore Paschali *Alleluja*.

XII. In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Sacrificia quæcumque, debent applicari omnibus Defunctis ex intentione Ecclesiæ, & consequenter cessant eo die omnes aliæ obligationes diei annexæ pro particularibus Defunctis. Arnaud. *p.* 4. *tit.* 15. *n.* 13.

Ritus Solemnis.

I. Quandocumque dicitur Missa pro Defunctis solemniter, id est, cum apparatu, dicitur unica tantum Oratio.

II. Non incensatur Altare, nisi ad Oblata, & post ea & Altare, Celebrans solus.

III. Subdiaconus non osculatur manum Celebrantis, nec benedicitur, nec tenet Patenam, neque defert librum osculandum Celebranti: ministrat tamen eidem, dum Altare incensat, quam incensationem & ipse peragit, dum Sacramentum elevatur.

IV. Diaconus non petit benedictionem, nec osculatur manum Celebrantis, nec incensat librum, aut Celebrantem in fine Evangelii.

V. Acolythi non portant luminaria ad Evangelium, neque thuribulum: tenent tamen, ut alias, medium Subdiaconum sustinentem Evangeliorum librum.

§. III.

Quomodo Absolutio *peragenda sit*.

I. POst finem Missæ, deposita Planeta & Manipulo (quam etiam Ministri deponunt, ut in simili casu tradit Cæremon. Episcop. *l.* 2. *c.* 17. & assumpto pluviali, si habet, descendit habens birretum in capite, deinde capite detecto sistit se inter Altare & tumulum seu lecticam mortualem aliquantulum versus cornu Epistolæ, ut Crucem respicere queat, absente corpore, præsente vero corpore servetur Ri-

tuale

tuale Romanum de Exequiis pro vario Defunctorum situ; non enim ad caput Defuncti imaginarium, sed ad verum se sistit Celebrans, atque adeo in funere Sacerdotis, præsente corpore, variatur situs Celebrantis & Subdiaconi.

II. Incensum benedicitur, & imponitur circa finem Responsorii.

III. Ante, quam aspergat vel incenset, cum Diacono a dextris facit reverentiam Altari, ut in Missa, uti & Cruci Subdiacono, dum circuit Lecticam, quam ter a dextris & ter a sinistris aspergit, & incensat.

IV. Oratio *Absolve* dicitur communiter etiam in Prælatorum absolutione, addito dignitatis nomine, & junctis manibus. Gavant. *tit.* 13. *litt. M. & O.*

V. In fine facit manu dextra signum Crucis super Lecticam, dicens *Requiem æternam* &c. Cantores dicunt: *Requiescant in pace*: licet pro uno fiat Absolutio.

VI. Si non adsit Feretrum aut Lectica, dicto *Placeat* ante Evangelium accedit ad cornu Epistolæ, depositis Planeta & Manipulo, accipit Pluviale, & stans ibidem conversus ad Altare exspectat finem Responsorii *Libera nos*, interim Acolythi pannum nigrum expandunt in plano ante medium Altaris, & circa finem Responsorii ipse ministrante Diacono imponit & benedicit thus in thuribulo, & dicto ultimo *Kyrie-eleison* a Choro, dicit *Pater noster*, quod secreto prosequitur, & interea accedit ad pannum nigrum, eumque aspersorio a Diacono accepto ter aspergit in medio a dextris, & sinistris ipsius panni, redditoque aspersorio capit thuribulum, ter eodem modo thurificat. Deinde conversus ad cornu Epistolæ ex libro dicit: *Et ne nos inducas*, &c. alta voce, & reliqua, ut in Missali. Dicto autem per Cantores: *Requiescant in pace*, accedens cum Pluviali ad cornu Evangelii signans Altare aut Tabellam, & seipsum dicit Evangelium S. Joannis, & redit more solito ad Sacristiam. Bauldrius *p.* 3. *c.* 24.

TITULUS IV.

DE MISSIS VIGILIARUM.

I. IN Missis Vigiliarum, quæ sub Ritu simplici celebrantur, numquam dicitur *Gloria* aut *Credo*, licet in Officio dictum

ctum sit *Te DEUM laudamus*, quia hæ missæ non concordant cum Officio Rubr. *cit.* 3. *n.* 2.

II. Si in Vigiliam incidat Semiduplex, secunda Oratio de Vigilia erit, tertia de Tempore, non *Concede*, quæ alioqui secundo loco in Vigilia dicitur.

III. Si Vigilia venerit infra Octavam, Missa dicitur de Vigilia cum Commemoratione Octavæ. Si vero fiat de Festo, primo Commemoratio facienda est de Octava, deinde de Vigilia: Excipe tamen, si Vigilia SS. Petri & Pauli, vel S. Joannis Baptistæ infra Octavam Corporis Christi venerit, tunc enim dici debet Missa de Octava cum Commemoratione Vigiliæ. Arnaud. *p.* 1. *tit.* 3. *n.* 2. & 3.

IV. Missa Vigiliæ occurrentis dicitur cum Commemoratione Feriæ Adventus, licet de ea non sit factum Officium, Vigilia Nativitatis excepta. Quod si occurrat Festum novem Lectionum in Vigilia Adventus, in Missa Oratio de Adventu dici debet ante Orationem Vigiliæ, quia juxta Rubricas *tit.* 7. *n.* 3. semper secunda Oratio est de eo, de quo factum est Officium, uti in Festo S. Leonis 28. Junii videre est. Gavant. *p.* 1. *tit.* 4. *n.* 4.

V. Si Vigilia cum Festo primæ Classis occurrit, nihil fit de illa, ob quem casum inter Ferias Majores non numeratur, Rubric. *tit.* 3. *n.* 2.

VI. In Vigiliis semper dicitur Præfatio communis (excipe Vigiliam Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, & Pentecostes) etiamsi infra Octavas habentes propriam Præfationem venerint, uti in Vigilia S. Joannis infra Octavam Corporis Christi occurrente, videre est. Gavant. *tit.* 13. *litt.* C.

VII. Si Vigilia ab alio quopiam Festo digniore impediatur, semper ultimum Evangelium de illa legendum est, nisi in Ferias Quadragesimæ aut Quatuor Temporum cadat, tunc enim Evangelium S. Joannis dicendum est.

TITULUS V.

DE MISSIS PRIMIS NOVORUM SACERDOTUM.

I. IN tali Missa semper assistit Neomystæ Presbyter & quidem in Pluviali, si Celebrans sit in dignitate constitutus;

tus; secus in Cotta dumtaxat. Si tamen alicubi consuetudine introductum sit, ut etiam inferioris conditionis Neomystis in Pluviali pro majori decentia & solemnitate assistatur, tolerari ea poterit. Bauldrius *p.* 3. *c.* 11. *n.* 1. sed an, in accessu ad Altare, & recessu, Neomystam præcedat assistens, vel sequatur, dubium est: consuetudo quidem habet, ut sequatur; sed mallet eum (statim post Ministros) præcedere Gerlac. *p.* 2. *tit.* 15. *n.* 2. Corsertus eum, *tr.* 1. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 3. sequi vult, ut qui Presbyterum Assistentem in Missa solemni etiam sequi vult, quem tamen Nicolaus Bralion. *p.* 2. *c.* 4. *num.* 3. cum Diacono associatum præmittit.

II. Ante, quam Missam inchoet, poterit flexis genibus in infimo gradu Altaris Hymnum *Veni S. Spiritus* cantare, unde si aspersio Aquæ benedictæ facienda est, ea non prius ab alio (cum S. Rituum Congregatio decreverit, hanc semper a Celebrante faciendum esse, ut suo loco dictum est) sed ab ipso Neomysta post Antiphonam *Veni S. Spiritus* Versiculũ *Emitte &c.* & Orationem cantatam fieri debebit. Cum plures Neomystæ simul eadem hora sacrum facturi sunt, ut alicubi contingit, ad suum quisque Altare, post dispositam ex more in libro Missam, in suppedaneo Altaris flectent, dum ab eo, qui ad aram principium faciet, inceptus Hymnus supra dictus, a Choro absolutus, & consueta Oratio, ab eo, qui Hymnum incipit, subjuncta fuerit. Tum surgent, & Missam consueto more inchoabunt. Quod si solus aliquis, & sine cantu celebret, dicet, ut supra, coram Altari genibus flexis Antiphonam prædictam, quæ desumitur ex Missa Pentecostes, cum Oratione competente de S. Spiritu ex Missa ejus votiva.

III. Assistens semper assistit ad librum, & se cum Celebrante inclinat, genuflectit, & signat, prout opus erit, quasi eum in omnibus actibus præcedens, modeste tamen ac prudenter. Genuflectit tamen a verbis *Qui pridie* usque ad depositionem Calicis; & a verbis *Domine non sum dignus* (nisi in hoc casu Ministri adsint, tunc enim sicut ipsi in Rubrica stare jubentur, ita convenit id ipsum etiam ab Assistente fieri) usque ad sumptionem Calicis, & ad benedictionem Missæ in fine. Hucusque Bauldrius *p.* 3. *c.* 11. Assistens tamen cum Neomysta, non extendit, aut elevat manus; nec convertit

se ad

se ad populum, nec osculatur librum, aut Altare; nec benedicit Populum, vel Oblata, nec alia facit similia: nisi cum Neomysta eorum aliquid omitteret, is vel gestu aliquo, vel verbo admonendus esset. Gerlac. *p* 2. *tit.* 15. *n.* 4. Dum Pax datur, videtur conveniens, ut prius Neomysta Assistenti det, sicut ipse Episcopus juxta Cæremoniale Episcoporum. *l.* 1. *c.* 24. dat Assistenti ad dextram eunti, & genuflectenti, prout alias Diaconus solet, cum hoc tamen discrimine, quod ibi Diaconus cum Subdiacono Pacem ab Episcopo accipiat; hic autem conveniat, ut Diaconus eam ab Assistente accipiat, & statim more solito det etiam Subdiacono.

IV. Si facienda sit Communio, fiat, ut moris est, & tum Assistens, non a sinistris ut Gerlacus vult; sed a dextris Neomystæ, quod commodius est, assistere debet, tenens Patenam sub mento Communicantium; quod tametsi ad dignitatem Episcopalem pertineat, ob periculum tamen irreverentiæ, si ob solicitudinem & trepidationem, quibus Neomysta obrui potest, sacræ Hostiæ e manibus exciderent, in primitiis tantum ejusdem concedi solet. Gerlac. *p.* 2. *tit.* 15. *n.* 5.

V. Post Missam, ubi in Sacristiam redierit, factaque Cruci reverentia Planetam & Manipulum deposuerit, vertit sese, & primum Assistenti flexis genibus benedictionem petenti manum deosculandam porrigit, & benedicit, dicens; *Benedicat te Omnipotens DEUS, Pater & Filius & Spiritus S. Amen.* Sicque reliquos Ministros sibi succedentes, & post hos etiam Laicos benedicit.

TITULUS VI.

DE MISSA CORAM EPISCOPO CELEBRARI SOLITA,

Ritus Communis.

I. QUando Celebrans ad Altare accedit, in accessu prius Episcopo profundam (aut si alicubi mos ferat, omnino mediocrem genuflexionem) deinde Altari convenientem reverentiam facit. Cærem. Episc. *l.* 1. *c.* 18.

II. Ante quam principium Missæ faciat, stans a cornu

Evangelii facie versus Epistolæ cornu conversa, obvertit se cum profunda inclinatione Episcopo ad licentiam obtinendam, eodemque annuente Missam inchoat.

III. Sub *Confiteor* non dicit *& vobis Fratres*, sed *tibi Pater*, simulque iterum se versus Episcopum cum profunda inclinatione convertit.

IV. Dicto *Oremus* faciens profundam reverentiam Episcopo, accedit ad medium Altaris ante infimum gradum, & ibi secreto incipiens Orationem *Aufer a nobis* ascendit ad Altare, Minister vero ad cornu Evangelii, ibique genuflexus inservit. Bauldrius *p. 3. c. 13.*

V. in fine Evangelii non osculatur librum, nec dicit *per Evangelica dicta*, sed Minister accipit librum, & sine genuflexione librum claudit, & ad Altare reportat.

VI. Dicta prima Oratione ante Communionem, osculatur Altare in medio; atque etiam instrumentum *Pacis* a Ministro oblatum dicens: *Pax tecum*, cui Minister respondet: *Et cum Spiritu tuo*: & mox ad Episcopum defert instrumentum, eique osculandum porrigit dicens pariter: *Pax tecum*, & post hæc verba dicta, non ante, debitam reverentiam facit.

VII. Ante quam benedictionem det, dicto *Placeat & benedicat vos Omnipotens DEUS*, convertit se ad Episcopum, & capite inclinato quasi licentiam benedicendi petens prosequitur: *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, benedicens stantes a parte, ex qua non flectit Episcopus.

VIII. Finito Evangelio ultimo, conversus ad Episcopum adhuc stans in cornu Evangelii, facit illi reverentiam, & eo descendente revertitur ad Sacristiam.

IX. Hæc omnia tum tantum observat, quando coram Episcopo in loco suæ Jurisdictionis legit, non autem in alio loco, nec coram alio Prælato Ecclesiastico licet Majore (excepto Pontifice) multo minus Principe Laico, quamvis his ex tolerantia instrumentum pacis, & liber (non tamen ille, quo Celebrans utitur, quemque propterea tunc osculari debet) deosculandus offerri, & reverentia in accessu & recessu fieri possit, non tamen Feminis, excepta reverentia. Bauldr., *p. 3. c. 10. n. 9.*

Ritus

Ritus Solemnis.

I. Quandocumque in Missa solemni apud Altare incensatio facienda est, incensum non a Celebrante, sed ab Episcopo imponitur in thuribulum.

II. Postquam dixit Celebrans *Misereatur*, versus Episcopum convertens sese, faciensque reverentiam ab eo absolutionem accipit, & tum iterum pergit.

III. Nec Subdiacono post Epistolam, nec Diacono ante Evangelium benedicit, sed utrumque hoc Officium Episcopo relinquit; qui etiam solus post Evangelium osculatur librum Evangelii a Subdiacono oblatum, & a Diacono incensatur.

IV. Sub Offertorio, antequam Subdiaconus aquam in Calicem infundat, urceolum elevatum versus Episcopum tenet, ut ab eo benedicatur, unde Celebrans abstineat hujusmodi benedictione.

V. Post Orationem primam pro Communione dictam Diaconus acceptam a Celebrante pacem, sive per osculum, sive per instrumentum defert. Reliqua ut in Missa communi observantur.

TITULUS VII.

DE MISSIS NATIVITATIS CHRISTI.

I. NEmo tenetur ad tres Missas hoc die dicendas, ne Parochus quidem, si scandalum absit. Ita Gavantus *p.* 4. *tit.* 3. *n.* 6. cum Bonacina *d* 4. *q. ult. pu.* 9. *n.* 5.

II. Probabilis & secura sententia est Suarez. *p.* 3. *d.* 8. *l.* 4. posse in hac nocte tres Missas privatas celebrari post mediam noctem, quia nullo jure prohibetur. Gavant. *l. c. n.* 6.

III. Qui unam tantum Missam dicere potest, aut vult; tertiam dicat, utpote cujus Oratio cum Officio concordat. Idem *l. c.*

IV. Circa Purificationem Calicis non eadem est ubique praxis. Et in primis quidem Purificationem, si stricte sumatur cum Tamburino apud P. Gobat. *n.* 852. pro Calicis

tantum elutione, faciendam non esse, sed solos digitos abluendos, supponit Lugo in resp. moral. *lib.* 1. *dub.* 10. *n.* 11. & habet communior praxis. 2. Ablutionem digitorum non super Calicem, sed in vase vitreo faciendam esse, Gavantus *l. c.* cum plerisque aliis Rubricistis contendit; sed communior nostræ Germaniæ praxis est, ut in Calice fiat, & tum primum in alium Calicem vel vitrum effundatur, & sumatur a Sacerdotibus in tertio sacro post sumptum sacrum Sanguinem. Sed alicubi, ut videre est apud P. Gobat. *n.* 849. hæc ablutio immergitur Purificatorio, quod suspenditur postea ad exsiccandum. 3. Calicem Purificatorio non esse abstergendum, iidem Auctores censent, & praxis Romana habet. Verum quia in nostra Germania, passim etiam abstersio ista, post ablutionem digitorum consuetam, practicatur, potest quivis sine scrupulo hanc consuetudinem retinere, cum ex una parte Canon Missæ *os & calicem purificatorio abstergi* jubeat; ex altera vero parte Purificatorium ad hoc destinatum sit, ut Reliquias ablutionis, si quæ ad labia aut calicem adhærcant, abstergat. Ita P. Gobat. *n.* 848. 4. Preces, quæ in Purificatione Calicis, & digitorum ablutione dici alias solent, etiam in hoc casu, licet non fiat Purificatio, dicendas esse, Gavantus *l. c.* & alii tradunt. Quod si vero aliquis Italorum praxin secutus, Calicem neque elutum, neque extersum, sequenti statim sacro cum necessaria materia ad consecrandum adhibeat, licite id faciet. P. Gobat. *l.c. n.* 850.

V. In privatis Missis non flectit Celebrans utroque genu ad verba *Incarnatus est*, ut supra dictum *p.* 2. *tit.* 17. *n.* 7.

TITULUS VIII.

DE MISSA PURIFICATIONIS B. VIRGINIS.

I. SI hoc Festum venerit in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ, facta aspersione Aquæ benedictæ prius, quam Celebrans ascendat ad Altare, fit tantum benedictio, distributio candelarum, & Processio: & Missa dicitur de Dominica. *Rubr.* & tum candelæ in Missa non tenentur accensæ juxta morem Romanum. Gerlac. *p.* 6. *tit.* 3.

tit. 3. *num.* 10. Corsett. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 11. Gavant. *p.* 4. *tit.* 14. *num.* 10.

II. Si in prædictis Dominicis hoc Festum venerit, & Ecclesia sit in honorem B. Virginis dicata, olim Clemens VI. decreverat, ut tunc Missa de Festo fieret; sed nunc, teste Corsetto *p.* 2. *c.* 12. *n.* 3. Innocentius X. in novo Cæremoniali Episcoporum decrevit & etiam Rubricis Missalis novi inseri voluit, ut in tali casu numquam diceretur Missa, nisi Ecclesia sit B. Virgini sub titulo Purificationis dicata, tunc enim eidem ut Festo primæ Classis cedere debent hæ Dominicæ; de quibus proinde tunc tantum Commemoratio facienda, & ultimum Evangelium legendum est. An vero in tali casu, si scilicet Festum Purificationis transferatur, & in Dominica Septuagesimæ, vel Sexagesimæ Missa de Dominica dicatur, secundo & tertio loco eæ Orationes, quæ in his Missis assignarunt, videlicet *A cunctis*, & ad libitum; an vero, quæ Dominicis ante Purificationem conveniunt, nempe *DEUS qui Salutis*, & pro Ecclesia vel Papa dicendæ sint, dubitarunt nonnulli; ad quod dubium cum Gavanto *p.* 4. *tit.* 4. *num.* 13. respondetur, adhuc posteriores dicendas eo quod adhuc B. Virginis partus celebretur, donec Purificationis Festum fuerit celebratum.

TITULUS IX.

DE SEPTUAGESIMA, ALIISQUE SEQUENTIBUS DOMINICIS.

I. UNde desumpta sit harum Dominicarum denominatio, non conveniunt Auctores. Gavantus *p.* 4. *tit.* 5. *n.* 12. ait, sibi omnium maxime placere opinionem Ruperti Abbatis *l.* 4. dicentis, has Dominicas sic appellatas esse a numero Hebdomadarum usque ad Dominicam Quartam Quadragesimæ, quæ *Lætare* vocatur, intercedentium; atque adeo Septuagesimam vocari, quia septem hebdomadæ usque ad Dominicam *Lætare*, quæ est Paradisi, ad quem per septem hebdomadas pervenitur, propria quædam imago, intercedunt; sicque discurrendo de reliquis Dominicis. Sed nihil probabilius videtur cum aliis ab eodem Gavanto *n.* 8. citatis;

eas a numero dierum jejunio solemni deputatorum appellatas, & sic Quadragesimam vocatam a quadraginta diebus jejunii, quos includit. Quinquagesimam a quinquaginta diebus, quos olim jejunium hoc solemne incluserat, eo quod Feria V. Cœnæ Domini, & Sabbato sancto non jejunabatur. Sexagesimam vero a sexaginta diebus, eo quod ex decreto Melchiadis Papæ non solum dies Dominicæ ob Resurrectionem Domini, sed etiam Feriæ quintæ ob Cœnam Domini & Ascensionem Domini fuerint a jejunio excepti. Quia vero postea e decreto Concilii Constantinopolitani VI. etiam Sabbatini dies fuerant a jejunio exempti; ideo tunc Septuagesima vocabatur jejunium solemne, quæ tamen postea ob perfectam Christi imitationem ad quadraginta dies veri & proprii jejunii iterum restricta est; retento tamen nomine Sexagesimæ, & Quinquagesimæ, & luctus Cæremoniis, ut sint quasi præparatio ad sequentem jejunii Quadragesimam. Unde etiam Tractus, id est, carmen luctus omnibus his Dominicis assignatus est, qui tamen Tractus in Feriis harum hebdomadarum non dicitur, eo quod luctus solemnis tantum in concursu Populi sit faciendus, ut ait Gavantus *n.* 14.

II. Etsi pro Dominica Septuagesimæ, Sexagesima, Quinquagesima speciales Orationes secundo, & tertio loco dicendæ assignentur; hoc tamen intelligendum est, si venerint post Festum Purificationis; si enim aliqua ex his Dominicis ante illud Festum venerit, tum hoc ipso, quod adhuc memoria partus B. Virginis celebratur, etiam Commemoratio de B. Virgine per Orationem *DEUS, qui salutis*, adhuc fieri, atque adeo etiam tertio loco Oratio pro Ecclesia vel Papa dici debet.

III. De Dominica Sexagesima notat Gavantus *num.* 15. quod duæ Regulæ generales in aliis Rubricis præscriptæ non observentur. Prima est, quod, quoties fit Oratio prima de S. Petro, etiam secunda Oratio de S. Paulo dici debeat, uti ex eorum Festis per annum patet: quæ tamen Regula in hac Dominica non observatur, cum in prima Oratione fiat Collecta de S. Paulo absque eo, quod etiam Collecta de S. Petro fiat. Secunda Regula est, quod in eadem Missa non debeat fieri bis Commemoratio de eodem; quæ tamen Regula pariter non observatur in hac Dominica, cum de S. Paulo dica-

tur

tur Collecta prima, & tamen de eodem etiam in Oratione *A cunctis* iterum fiat Commemoratio. Verum ad hanc oppositionem respondet Gavantus *n.* 15. *cit.* Collectam primam, solummodo dici ratione Stationis, & quidem occulto tantum nomine; Regulam autem illam *de eodem non fit bis mentio in eodem Officio*: de Festis, Commemorationibus, & Votivis Missis intelligendam esse; unde licet in Feria quinta post Dominicam tertiam Quadragesimæ pariter fiat mentio de SS. Cosma & Damiano, non tamen in propria eorum Ecclesia omittitur consueta Commemoratio in Oratione *A cunctis*; quia mentio illa tantum fit ratione Stationis, quæ non est Festum, nec Commemoratio, nec Votivum.

TITULUS X.

DE FERIA QUARTA CINERUM,

Ritus Communis.

I. Vocatur hæc Feria Cinerum a Cineribus, qui ab Ecclesia benedici, & capitibus Fidelium imponi solent, tum ut meminerint se pulverem esse, & in pulverem reversuros; tum ut pœnitentiam cum Ninivitis a Cinerum inspersione incipiant. Unde Gavantus *p.* 4. *tit.* 6. *num.* 1. notat, hanc Feriam initium quidem Pœnitentiæ, non tamen caput Quadragesimæ esse, ob quam causam etiam Vesperæ mane adhuc non cantantur.

II. Cineres qui benedicendi sunt, ex ramis olivarum, vel aliis arboribus eo anno benedictis colligi debent, debentque esse aridi, & non in modum luti, uti S. Congregatio 23. Maji 1623. decrevit, teste Gavanto.

III. Vas, in quo Cineres asservantur, debet esse vel argenteum, vel ex aliqua honesta materia confectum, uti Cæremoniale Episcoporum *l.* 2. *c.* 8. monet, debetque in cornu Epistolæ inter Missale & cornu collocari.

IV. Preces ad benedictionem pertinentes junctis manibus dici debent, uti Gavantus & alii Rubricistæ monent.

V. Si Sacerdos alium commode Sacerdotem habere non

 potest,

potest, a quo Cineres ei imponantur, ipse post absolutam benedictionem in supremo gradu genuflectit, sibique ipsi Cineres imponit, nihil dicens, quasi Cineres a DEO accipiens, cui omne genu flectitur. Rubric. hic *n*.4.

VI. Aliis vero dum distribuit Cineres, ipse quidem aperto capite id facit juxta decretum S. Congregationis 18. Jul. 1626. ii vero, qui eas accipiunt, genibus flexis id facere debent, etiamsi sint magni Ordinis sæculares, aut Prælati quidem & Canonici, sed non suo habitu induti. Feminis etiam super capillos, & non super velum imponi deberent, si fieri commode posset, uti Gavantus monet (qui etiam addit, in modum Crucis eos imponi debere) ne super velo benedictus Cinis perdatur.

VII. Post completam distributionem Celebrans manus in angulo Altaris in cornu Epistolæ mica panis & aqua extergit, & postea Orationem *Concede* recitat. Michael Bauldrius in plano eum lavare manus debere ait, sed hoc vix ab ullo observatur, uti & plerumque sola aqua absque pane manus lavantur.

Ritus Solemnis.

I. Hora competente paratis omnibus, quæ ad benedictionem requiruntur, & accensis sex Cereis super Altari, Celebrans cum Stola & Pluviali, & Ministri cum Planetis plicatis violaceis, aut certe in Alba, tantum Stola sine Manipulo procedunt ad Altare, dextris & sinistris Pluviale attollentes.

II. Cum ad Altare pervenerint, Celebrans deposito birreto, factaque reverentia, simul cum Ministris ad illud ascendit, eoque osculato, accedit ad librum, ibique stans inter utrumque Ministrum (quod teste Arnaudo *p*. 4. *tit*.6. *n*. 3. servari debet, quotiescumque est Pluviali indutus) incipit Antiphonam *Exaudi* legere, quam interea Chorus cantat, eaque finita manibus junctis Orationes in Tono Feriali cantat.

III. Quando Cineres benedicit, sinistram super Altare ponit; Diaconus vero a dextris consistens fimbriam anteriorem Pluvialis elevat.

IV. Fini-

IV. Finitis Orationibus imponit incensum in thuribulum; Diacono naviculam ministrante; postea ter Cineres aqua benedicta aspergit, in medio scilicet, a dextris ipsorum Cinerum, & a sinistris, interea Antiphonam *Asperges me* recitans a similique modo ter eosdem incensat, nihil tamen dicens, Diacono interea fimbriam anteriorem Pluvialis attollente.

V. Completa incensatione Celebrans retrahit se ad medium Altaris, & ibi se vertens, & stans medius inter Diaconum a dextris tenentem vas Cinerum, & Subdiaconum a sinistris exspectat, donec dignior ex Clero adveniat, & facta in gradu infimo reverentia Altari & Celebranti, ascendat ad gradum secundum, ipsi Celebranti super caput inclinatum Cineres imponat, dicens: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Tum ipse digniori, & aliis per ordinem eodem modo Cineres imponit, cum hoc tamen discrimine, ut Ministris paratis, Clero, Magistratibus, & Nobilioribus in gradu proximiori suppedaneo Altaris; Populo vero extra Cancellos distribuantur. Diaconus autem, qui a dextris vas Cinerum portans comitatur Celebrantem, quando vult ipse Cineres accipere, vas Cinerum interea Subdiacono porrigit, & mox iterum recipit. Ita Bauldrius hic *n.* 11. Quod si vero nullus dignior Celebrante adesset, non Diaconus, sed ipsemet Celebrans sibi Cineres imponere debet.

VI. Distributis Cineribus, Celebrans juxta Cæremoniale Episcoporum *l.* 2. *c.* 19. deponere deberet Pluviale, & sic in angulo Altaris manus lavare, & tum primum ad cornu Epistolæ ascendere, atque Orationem *Concede* cantare. Verum Bauldrius *n.* 13. rationabilius putat, ut retineat Pluviale, donec Orationem absolverit: quod fere etiam in praxi observatur.

VII. Si Populus valde frequens adsit, qui Cineres accepturus est, poterunt designari alii Sacerdotes, qui Stolis violaceis induti in aliis Sacellis, Ministro vas Cinerum a dextris tenente, pro locorum qualitate distribuant. Ita Corsettus 1. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 13. ex Andrea Piscara refert.

TITU-

TITULUS XI.

DE DOMINICA PASSIONIS.

I. APpellatur hæc Dominica Passionis, eo quod Passio Christi clarius repræsentari, tristitiaque major demonstrari incipiat. Ante primas Vesperas Dominicæ Passionis velantur Cruces & Imagines velis violaceis, in quibus nulla alia imago reperiatur, manentque sic velatæ usque ad finem Litaniarum in Sabbato Sancto.

II. Non dicitur toto tempore Passionis in Missis de Tempore, id est, Dominicæ & Feriæ, Psalmus *Judica*, nec *Gloria Patri* ad Introitum & Psalmum *Lavabo*, quod fit ad majorem mæstitiam Ecclesiæ indicandam. Gavantus *p.* 4. *tit.* 7. *n.* 2. & 3.

III. In iisdem Missis de Tempore dicuntur duæ tantum Orationes usque ad Feriam quintam Cœnæ Domini. In Festis tamen Semiduplicibus hoc tempore occurrentibus dicuntur tres Orationes, scilicet prima de Festo, secunda de Feria, tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa. In Simplicibus vero Festis etiam duæ tantum dicuntur, prima videlicet de Feria, altera de Simplici occurrente.

TITULUS XII.

DE DOMINICA PALMARUM,

Ritus Communis.

I. ACcepit hæc Dominica nomenclationem suam a Palmis, quæ in ea benedici, & distribui solent. Vocatur etiam Hebdomada major ob sanctissimum Dominicæ Passionis Sacramentum, ut ait Gavantus *p.* 4. *tit.* 7. *n.* 5.

II. Cum dicitur in Missis privatis in Epistola *omne genu flectatur*, videtur sufficere, contra Coriett. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 20. ut unum genu flectatur: quin & Rubrica plus non requirit, & videtur hic quoque ratio valere supra *tit.* 17. *n.* 7. ex Gavanto allata, ut scilicet Celebrans sit expeditior ad surgendum.

III. In

III. In Missis privatis non extinguuntur lumina in Altari ad legendam Passionem; & si sequentur benedictionem Palmarum *immediate*, non legitur in illis pro ultimo Evangelium Palmarum, sed S. Joannis, uti vult Arnaud. *tr.* 1. *p.* 4. *tit.* 7. *n.* 12. Gavant. & alii: quod tamen ultimum vix ulibi observatur in nostris partibus. NB.

IV. Passio inchoatur absolute. Non dicitur *Munda cor meum*: nec *Jube Domine benedicere*: nec *Dominus vobiscum*. Celebrans non signat librum, nec seipsum. Et cum perventum fuerit ad mortem Christi, fit genuflexio utroque genu, etiam sequentibus diebus, & secundum praxin quidem communem in medio Altaris, tametsi Gerlac. *p.*2. *tit.* 6. *num.* 29. & Bauldrius. *p.* 4. *c.* 7. *n.* 24. versus librum faciendam putet: fitque pausa spatio unius *Pater noster*, Gavant. *p.*4. *tit.* 9. n. 7. & alii: qua finita surgens Celebrans, & facta Cruci debita reverentia rediens ad librum, prosequitur residuum.

V. Antequam Celebrans legat suam partem, quæ dicitur loco Evangelii, redit ad medium Altaris, & inclinatus more consueto dicit *Munda cor meum*, & *Jube Domine benedicere*: quibus dictis, redux ad librum in cornu Evangelii, non signans librum, nec seipsum, reliqua absolvit, & in fine osculatur librum, dicitque *per Evangelica dicta*.

Ritus Solemnis.

I. Cum Subdiaconus cantat in Epistola ea verba, *Ut in nomine JESU omne genu &c.* ipse, & omnes alii, etiam Celebrans genuflectunt, usque ad verbum *infernorum* inclusive.

II. Passio cantari potest a tribus Diaconis, vel in eodem, vel ad majorem commoditatem, in tribus, sed nudis pulpitis, ad cornu Evangelii: procedunt e Sacristia parati hoc ordine. Præit Cæremoniarius; hunc sequitur, qui Evangelistæ personam gerit, portans sibi librum, tum ille, qui turbarum; & denique, qui Christi personam sustinet: factis autem debitis reverentiis Altari, accedunt versus cornu Evangelii ad cantandum, medium locum relinquentes agenti personam Christi, dextram Evangelistæ. Gerlac. *l. c. n.* 30. Non autem probatur distributio Passionis inter Celebrantem, & vel Diaconum, vel Subdiaconum solum, ut horum alteruter perso-

nam

nam Turbarum &c. & Celebrans Christi repræsentet : sed potius, si desint apti Ministri, qui cantent, solus Diaconus cantare debet totam Passionem, partem finalem ejusdem, addito tum ministerio Subdiaconi & Acolythorum, ut fit ad Evangelium. Gavant. *p.* 4. *tit.* 7. *n.* 15. & Arnaud. *l. c. num.* 9. Non displicet tamen communis praxis multarum Ecclesiarum, in quibus inter Celebrantem, Diaconum, Subdiaconum; & Chorum tota Passio cantanda distribuitur.

III. Cum inchoatur passio, Celebrans in cornu Epistolæ Ministris ad latus ejus stantibus, ut in Introitu Missæ, eamdem legit; & cum ad mortem Christi pervenerit, non genuflectit, nisi simul cum dictis Cantoribus: illi quidem versus librum; Celebrans autem super suppedaneum in medio Altaris, cum Ministris. Gerlac. *l. c. n.* 33. At postquam integre legerit convertit se ad ipsos Cantores. Tam ipse vero, quam reliqui Ministri ramum suum in sinistra tenent, exceptis Cantoribus, & eorum Acolythis; idque observant etiam in ultimo S. Joannis Evangelio, uti expresse indicat Rubrica in fine hujus Missæ, & notat Corsettus. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 23. & Bauldrius. *p.* 4. *c.* 8. *n.* 9. & 12.

IV. Non petitur ad Passionem benedictio, neque luminaria deferuntur, neque thus adhibetur. In fine duntaxat more solito tamquam ad Evangelium Missæ petitur benedictio, incensatur liber, qui & osculandus datur Celebranti post finitam postremam partem, cum incensatione ejusdem Celebrantis a Diacono facta.

TITULUS XIII.

DE MISSA COENÆ DOMINI.

I. CRux, quæ in Altari est, velo tegatur albo, non autem eæ, quæ in aliis Altaribus sunt positæ; nec ea quam Subdiaconus in Processione portat, hæ enim omnes violaceo tegi debent, Bauld. *c.* 4. *n.* 12.

II. Velum, quo Sacerdos ad Venerabile portandum utitur, pariter album esse debet, uti & cortinæ, quibus locus pro Sacramento asservando deputatus ornatur; imo & alia omnia hic splendere deberent, quia hic locus non est sepulchrum,

chrum, sed Regia Christi viventis. Gavant. *p.*4. *tit.*8. *litr.G.* & *n.* 12. & Bauldrius. *p.* 4. *c.*12.*n.* 2. ubi etiam *n.* 3. addit, arcam obseratam pro Sacramento asservando parandam esse.

III. Præparari item debet super Credentia Calix cum duabus Hostiis magnis, parvo velo albo tectus, quo postea Calix reponendus in dicta arca cum SS. Sacramento tegatur; nisi forte in Ciborio, quod ipsum jam operculo tectum sit, idem Sacramentum asservetur. Sed & aliud velum album oblongum pro tegendis humeris Celebrantis SS. Sacramentum portaturi parandum est.

IV. Missa solemnis, quantum fieri potest, a Superiore loci cantanda est, cui Ministri in Dalmaticis, ut in die solemni & festiva assistunt.

V. In Principio Missæ non dicitur Psalmus *Judica*, nec *Gloria Patri* ad Psalmum *Lavabo.* Bauldr. *n.* 8.

VI. Cum Celebrans cantat *Gloria in excelsis*, pulsantur campanæ, & tintinnabula, usque ad finem Hymni, & deinceps non pulsantur, usque dum idem Hymnus in Sabbato Sancto cantatur, sed eorum loco instrumenta lignea usurpantur.

VII. In hac Missa duas magnas Hostias offert, & consecrat Celebrans, quarum unam sumit, alteram pro die sequenti reservat, in quo non conficitur Sacramentum. Poni autem debet hæc Hostia secunda juxta Bauldrium in parte dextra Corporalis, nec ostenditur adoranda cum alia Hostia.

VIII. Ante ablutionem digitorum Subdiaconus Calicem alterum de Credentia ad Altare sine velo longo, sed cum parvo dumtaxat, patena & palla defert, nisi jam ante sit aliud vas pro servanda Hostia præparatum.

IX. Finita Communione, quæ, ut alias fieri solet, Celebrans, postquam digitorum ablutionem, ad quam non in planum, ut sub Offertorio, descendit, sumpsit; facta genuflexione ad cornu Epistolæ accedit, & Communionem dicit, ac reliquam Missam perficit.

X. Ad initium Evangelii S. Joannis non signat Altare, nisi illud ex libro vel Tabella recitet.

XI. Finita Missa Celebrans cum Ministris ad medium Altaris redit, ibique facta genuflexione per gradus laterales Epistolæ descendit in planum, ubi deponit Planetam & Manipu-

nipu-

nipulum, (quem etiam Ministri deponunt) & album Pluviale induit (nisi alicubi consuetudo sit, ut statim a medio Altaris ad medium plani Altari obversum descendat) postea per planum incedens cum Diacono & Subdiacono fimbrias Pluvialis elevantibus, accedit ad medium plani, & facta genuflexione stans imponit incensum in uno vel duobus thuribulis sine benedictione; deinde genuflexus ter incensat Sacramentum flectens in superiori gradu, facta ante & post profunda inclinatione & accipiens e manu Diaconi Calicem, eumdem sinistra circa medium apprehendit, dextram vero super patenam ponit, quam, ubi Diaconus velo cooperuerit, medius inter Diaconum & Subdiaconum incedit.

XII. Cum ad locum paratum, qui ex decreto S. Congregationis 6. Aug. 1691. facto deberet esse intra Ecclesiam, ventum fuerit, Diaconus genuflexus a Celebrante stante Calicem accipit, & primo super Altare ponit, deinde facta genuflexione descendit, & rursus in incenso imponendo juvat. Peracta, ut prius, incensatione a Celebrante, Diaconus reponit Sacramentum in arca, facta iterum genuflexione ante & post.

XIII. Subdiaconus, aut alius, qui Crucem præfert, & duo Ceroferarii tam quando ab Altari discedit Processio, quam, quando ad locum paratum venerit, numquam cum aliis genuflectunt, sed semper in loco congruo subsistunt quasi immobiles.

XIV. Facta a Celebrante ultima incensatione, & reposito Sacramento in arca, Celebrans dicit secreto Orationem Dominicam, & facto signo Crucis incipit recitare Antiphonam Vesperarum, cum sequentibus Psalmis prout in Breviario notantur.

XV. Finitis Vesperis Celebrans Alba, & Stola violacea ante pectus in modum Crucis pendente indutus, cum Diacono pariter Stola violacea sola vestito, Subdiacono solam Albam retinente, cum Acolythis superpelliceo albo indutis procedit ad Altarium denudationem, incipiens primum ab Altari summo, ante quod omnes genuflectunt propter Crucem desuper positam, excepto Celebrante parato, qui tantum profunde se inclinat, & ante quam incipiat denudationem, Antiphonam *Diviserunt*, quæ non duplicatur, inchoat,

quam,

quam, dum Chorus aut alii Psalmum *DEUS DEUS meus, respice in me*, recitant, ipse interea denudat Altaria, eumdemque Psalmum cum Ministris submissa, sed intelligibili voce recitat, sed tam tarde, ut non sit opus eum repetere, sed cum denudatione finiatur.

XVI. Hoc triduo omnes transeuntes ante Crucem, quæ est in Altari majori, faciunt illi reverentiam cum genuflexione, excepto Celebrante parato, qui hoc die solam profundam reverentiam faciat, sequenti tamen die pariter ex præscripto Rubricarum genuflexionem facturus.

TITULUS XIV.

DE OFFICIO FERIÆ SEXTÆ PARASCEVES.

I. ETsi ea, quæ in hoc Officio observanda sunt, accurate satis in Missali descripta sint; quia tamen ejusmodi Missalia non semper ad manum sunt, & aliqua adhuc ad praxin clarius explicari possunt, ideo breviter hoc loco etiam inserere placuit Rubricas, quas Missale de hoc Officio præscribit, easque brevibus Notis illustrare.

II. Ut autem prius intelligatur, quid nomine Parasceves significetur, sciendum est, hoc nomen idem ac præparationem significare; unde quia ea die, quo Dominus noster JESUS Christus pro Salute humani generis Cruci affixus fuit, Judæi sibi necessaria præparabant, ut Paschatis diem tanto solemnius & jucundius celebrare possent, Feria ista dies Parasceves appellari meruit. De qua sequentes Rubricæ a Missali præscribuntur.

III. Finita Nona a. *Sacerdos & Ministri induti Paramentis nigri coloris, sine luminaribus & incenso procedunt* b. *ad Altare*, c. *& ante illud prostrati* d. *aliquamdiu orant.* e. *Interim Acolythi* f. *unam tantum Tobaleam extendunt super Altare. Sacerdos cum Ministris, facta Oratione, ascendit ad Altare, & osculatur illud in medio*: g. *deinde Lector accedit ad legendam Prophetiam in loco, ubi legitur Epistola, & incipit eam sine titulo* h. *quam etiam Sacerdos legit submissa voce apud Altare in cornu Epistolæ.*

A. In

A. Inchoatur hoc Officium finita Nona, quia hora nona Christus expiravit, cujus sepultura hoc die ab Ecclesia per Officium institutum præcipue celebratur; unde non offertur Sacrificium incruentum, eo quod ipse Christus hodie velut Sacrificium cruentum se obtulerit.

B. Procedit autem Sacerdos cum Ministris, sicut ad Missam, id est, unus post alium, præcedentibus Acolythis sine Candelabris; Ministri vero, id est, Diaconus & Subdiaconus Stola, Humerali & Alba, non autem Dalmaticis induti esse debent.

C. Quod convenit esse nudum cum Cruce nigro velo sic coopeita, ut velum facile detrahi possit, ubi fuerit necesse pro Adoratione (nisi pro hac distincta quæpiam Crux, eaque major adhibeatur, uti multis in locis fieri solet) & sex Candelabris obscuri coloris, & candelis ex cerea communi factis, & non accensis instructum; sed & ipsi gradus nudi esse debent, bene tamen mundi pro Sacerdotis prostratione. Credentia simplici linteo cooperta esse debet, in eaque tantum necessaria ad Officium, nempe, Bursa cum Corporali & Purificatorio, ampullis vini & aquæ, vase ad ablutionem digitorum, Missalibus duobus, & cussino, mappa longa pro Altari, velo longo albo pro Celebrantis humeris ad Sacramentum reportandum.

D. Quod ut commodius peragat, cussini coriacei vel simplices eorum capitibus substerni possunt, non tamen ii, qui ad usum Missalis sunt, Gavant. hic. *lit. C.*

E. Ubi licet, quid orare debeant, non præscribitur, convenit tamen, Christum in Monte Oliveti prostratum imitari, & ter cum aliqua mora dicere: *Pater, si possibile est, transeat Calix iste a me, verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.*

F. Quia repræsentat simplicem Syndonem, qua Christi corpus pro sepultura involvebatur. Super hac Syndone Missale apertum cum cussino collocatur.

G. Post osculum Altaris Sacerdos profundam Cruci reverentiam facit, & ad cornu Epistolæ accedit.

H. Dum Celebrans incipit legere Prophetiam, Lector aliquis Cotta vel Alba indutus librum deferens ante pectus, cum Cæremoniario vel Substituto a finistris illius, facta Cruci Altaris genuflexione, accedit ad locum, in quo Epistola can-

cantari solet, ibique Prophetiam sine titulo(quia,ut Gavantus hic *lit. F.* ait, Titulus est caput Lectionis, atque adeo hodie, quando Christo occiso, sine capite sumus, illum non legi decet) cantat, in fine duntaxat vocem protrahendo. Ea finita revertitur ad medium Altaris, genuflectit, & librum Cæremoniario reddit. Ipse vero Celebrans, ubi eam privatim legendo absolverit, sedere potest cum Ministris in scamno nudo, tecto capite, usque ad finem Tractus.

IV. Finito Tractu Sacerdos in cornu Epistolæ dicit Oremus i. *Diaconus* Flectamus genua *k. & Subdiaconus* Levate *l.*

I. Oremus hic dicitur sine præmisso *Dominus vobiscum*, quia moriente summo Sacerdote, cessant officia Sacerdotis, ait Gavantus hic n. 3.

K. Quod dum canit, genuflectunt omnes, excepto Celebrante, sed ipse Diaconus ante omnes, genuflectit.

L. Ad quæ verba pariter ipse ante alios surgit.

V. Subdiaconus in tono Epistolæ similiter sine titulo cantat sequentem Lectionem m.

M. Prius tamen deponit Planetam plicatam, si ea utatur; deinde accipiens librum a Cæremoniario, cum ipso accedit medium Altaris, portans librum ante pectus, factaque genuflexione, ad locum Epistolæ vadit, & Lectionem ad modum Epistolæ, sed sine titulo cantat; qua finita redit ad medium Altaris, repetit genuflexionem, & sine osculo manui Celebrantis impenso, deponit librum, & planetam resumit, & ad Celebrantem redit, eiq; a dextris Diaconi assistit.

VI. Finito Tractu dicitur Passio n. super nudum pulpitum : quam Celebrans submissa voce legit in cornu Epistolæ.

N. Quæ iterum, si fieri potest, a tribus distinctis Ministris habentibus tamen Manipulos & Stolas nigri coloris, eodem fere modo, quo in Dominica cantari solet.

VII. Quod sequitur, legitur in tono Evangelii, & dicitur Munda cor meum, *sed non petitur benedictio, & non deferuntur luminaria, neq; incensum, & Celebrans in fine non osculatur librum o.*

O. Nempe sicut in aliis Missis Defunctorum, cum vere hoc die celebrantur Exequiæ Christo defuncto, ut ait Gavantus *n.* 8. Diaconus vero qui cantat hoc Evangelium, licet

M omnia

omnia alia de more, sicut in Missis Defunctorum faciat, non tamen seipsum aut librum signat juxta Gavant *l. c.* Nec planetam plicatam, quam ad Evangelium cantandum deposuerat, iterum assumit in toto reliquo Officio.

VIII. Deinde Sacerdos stans in cornu Epistolæ incipit absolute p.

P. Junctis manibus canendo tam primam hanc, quam reliquas monitiones ut vocant Gavantus, Bauldrius, & alii Rubricistæ; ipsas tamen Orationes extensis manibus in tono Feriali cantat.

IX. Completis Orationibus, Sacerdos deposita Casula accedit ad cornu Epistolæ, q. & ibi in posteriori parte anguli Altaris accipit a Diacono r. Crucem jam in Altari præparatam s. quam versa facie ad Populum, a summitate parum discooperit t. incipiens solus Antiphonam Ecce lignum Crucis. *Ac deinceps in reliquis juvatur in cantu a Ministris usque ad* Venite adoremus, *Choro autem cantante,* Venite adoremus, *omnes se prosternunt* u. *excepto Celebrante. Deinde procedit ad anteriorem partem anguli ejusdem cornu Epistolæ* x. *& discooperiens brachium dextrum Crucis, elevansque eam paulisper, altius quam primo, incipit* Ecce lignum Crucis, *aliis cantantibus, & adorantibus, ut supra. Deinde Sacerdos procedit ad medium Altaris* y. *& discooperiens Crucem totaliter, ac elevans eam* z. *tertio altius incipit* Ecce lignum Crucis, *aliis cantantibus, & adorantibus, ut supra.*

Q. Ibique cum Subdiacono Planetam deponit.

R. Qui interea, dum Celebrans Planetam deponit, ad medium Altaris, vel loc , in quo Crux adoranda est reclinata, accedit, ibique a Cæremoniario vel Sacristano Crucem de Altari, vel alio loco assumit, facta tamen prius eidem reverentia, eamque Celebranti sine manûs osculo porrigit, Acolythus interea in loco adorationis deputato tapetem seu pannum violaceum, cui pulvinum vel velum seu mappam albam superimponunt, extendentibus, nisi jam ante Officium id sit factum. Bauldrius. *p.* 4. *c.* 17.

S. Aut alio loco commodo, sicuti alicubi mos est.

T. Ita ut facies Crucifixi appareat.

V. Utrumque genu flectentes & caput etiam non modicè demittentes, ut Bauldrius *l. c. n.* 4. insinuat.

X.

X. Si quidem juxta medium Altaris Crux adorationi sit exponenda; alioqui etiam, si remotius esse ponenda, ut fit in multis locis, in quibus ad ultimum gradum Chori Crux adoranda collocatur, etiam spatia Processionis hujus forent proportionaliter determinanda.

Y. Vel locum alium adorationi præparatum.

Z. Ita ut non vox dumtaxat, sed ipsa etiam Crux semper altius elevetur.

X. Postea Sacerdos solus portat Crucem ad locum ante Altare præparatum, & genuflexus a. *ibidem eam locat: mox depositis calceamentis* b. *accedit ad adorandam* c. *Crucem, ter genua flectens* d. *antequam eam deosculetur. Hoc facto revertitur, & accipit calceamenta & casulam. Postmodum Ministri altaris, deinde alii Clerici & Laici, bini & bini, ter genibus flexis, ut dictum est, Crucem adorant* e. *Interim dum fit adoratio Crucis, cantantur improperia, & alia, quæ sequuntur, vel omnia, vel pars eorum, prout adorantium multitudo vel paucitas requirit, hoc modo. Duo Cantores in medio cantant &c.*

A. Duplici scilicet genu ob majorem reverentiam & humilitatem.

B. Ad latus Epistolæ, aut alium locum commodum, ac non nimis a Cruce adoranda remotum.

C. In qua adoratione Gavantus *p.4. tit.9. lit. O.* monet, conformitatem, quantum fieri potest, servandam, tum in osculo membrorum (quæ convenienter fierent, si primum dextræ, secundum sinistræ manui, tertium pedibus, quartum lateri figeretur) tum in pausa, seu interstitio genuflexionum, pro quo expediret, inter quamvis genuflexionem Versum *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per S. Crucem tuam redemisti mundum*: cum adjecto *Pater &, Ave* dici. Ordo vero adorationis requirit, ut quilibet Laicus, etiam Princeps, post Clerum adoret; Prælati vero, si qui adsunt, post Celebrantem. Gav. *l. c.*

D. Semel scilicet remotius a Cruce, altera vice propinquius, tertia vice prope ipsam Crucem, ut finita Oratione mox oscula peragere possit. Aliqui absolutis osculis adhuc manent flectentes, & orant; sed hoc non est necessarium, imo prolongat adorationem; quare rectius post oscula statim

surgit Celebrans, & genuflectens ad locum suum, ubi calceamenta seu crepidas reliquit, revertitur.

E. Quando postea Ministri & Laici, qui semper bini & bini adorationem peragere deberent, ad oscula accedunt, primus, qui est ad dextram Crucifixi, ubi oscula finivit, genuflexus exspectare debet, donec & Socius sua oscula absolverit, & tum simul surgunt, genuflectunt, & abeunt.

XI. Circa finem adorationis Crucis accenduntur Candelæ super Altare f. *& Diaconus accipiens bursam Corporalium, extendit more solito, & juxta illud ponit Purificatorium* g. *& finita adoratione Crucem reverenter accipit, & reportat ad Altare* h. *Postea ordinatur Processio ad locum, ubi pridie Sacramentum repositun fuerit. Præcedit Subdiaconus* i. *cum Cruce inter duos Acolythos deferentes Candelabra cum Cereis accensis, & Clerus per Ordinem, ultimus Sacerdos cum Ministris.* k. *Cum perventum fuerit ad locum Sacramenti, accenduntur intortitia, quæ non extinguuntur, nisi post sumptionem Sacramenti; & Sacerdos genuflectit ante Sacramentum, orat aliquantulum: Diaconus interim aperit Capsulam, in qua reconditum est Corpus Domini: postea Sacerdos surgens absque benedictione imponit incensum in duobus thuribulis* l. *Diacono naviculam ministrante, & genuflexus incensat Sacramentum,* m. *tum Diaconus extrahens Calicem cum Sacramento de Capsula dat ad manus Sacerdotis, & tegit extremitatibus veli* n. *quod humeros ejus circumdat* o. *& procedunt ordine, quo venerunt: defertur Baldachinum* p. *super Sacramentum, & duo Acolythi cum thuribulis continuo Sacramentum incensant* q. *Interim cantatur Hymnus* Vexilla Regis prodeunt. *Cum venerit Sacerdos ad Altare, posito super illud Calice,* r. *genuflexus rursum incensat, & accedens deponit Hostiam ex Calice super Patenam, quam Diaconus tenet, & accipiens Patenam de manu Diaconi, Hostiam Sacram ponit super Corporale nihil dicens. Si tetigerit Sacramentum, digitos abluit in aliquo vase. Interim Diaconus imponit vinum in Calicem, & Subdiaconus aquam, quam Sacerdos non benedicit, nec dicit super eam Orationem consuetam, sed accipiens Calicem a Diacono ponit super Altare nihil dicens* s. *& Diaconus cooperit illum Palla. Deinde imponit incensum in Thuribulum absque benedictione* t. *&*

incensat

incensat Oblata & Altare more solito II. *genuflectens ante & post, &, quandocumque transit ante Sacramentum. Cum incensat Oblata, dicit:* Incensum illud &c. *& ipse non incensatur.*

F. Uti & illæ, quæ in Credentia pro Acolythis sunt locatæ.

G. Et tunc etiam a Cæremoniario Missale ad cornu Epistolæ transfertur.

H. Nisi specialis aliqua Crux pro adoratione sit exposita; tunc enim illam relinquit jacere, si non impediat ab Officio.

I. Non ille, qui Diaconi socius est, sed alius Dalmatica alba vestitus, absque tamen Manipulo.

K. Antecedentibus intellige, non subsequentibus.

L. Si commode haberi possint; alioqui unum sufficiet.

M. Ante & post profunde se inclinans.

N. Quod velum album esse debet, teste Gavanto *num.* 15. *lit. X.*

O. Circumdatur autem Celebranti ab ipso Cæremoniario, vel Substituto illius.

P. Quod vulgari vocabulo cælum appellatur.

Q. Aut simul, aut unus post alterum.

R. Hoc est, Ministerio Diaconi, qui genuflexus illum a Celebrante accipit, & in Altari collocat; postea ad eumdem descendit, & Naviculam pro incenso ministrat.

S. Neque signum Crucis cum eo faciens, ut alias fieri solet.

T. Etsi enim alioqui generalis Regula præcipiens incensum benedici, quoties Altare simul cum Sacramento incensatur, hic tamen specialis Rubrica generali derogat.

V. Intellige, quoad numerum ductuum, non quoad benedictionem incensationis; nam illa prius jam excepta erat.

XII. Postea aliquantulum extra Altare in cornu Epistolæ X. *lavat manus nihil dicens: deinde in medio Altaris inclinatus, junctis* Z. *manibus dicit:* In spiritu humilitatis.

X. Facie ad Populum versa, uti alias solet, quando Venerabili Sacramento exposito celebrat.

Z. Et super Altare positis, sicut in aliis Missis facere consuevit.

XIII. Deinde Versus ad Populum in cornu Evangelii dicit more solito: a. Orate Fratres.

A. Nempe quoad vocum pronuntiationem, non quoad Circuli perfectionem.

XIV. Et per eamdem viam revertitur, non perficiens circulum, b. *& consequenter omissis aliis dicit* Oremus.

B. Ne tergum obvertat Sacramento.

XV. Sacerdos sub silentio dicto Amen *eadem voce, qua dixit* Pater noster, c. *absolute sine* Oremus *in tono Ferialis Missæ dicit* Libera nos. d.

C. Intellige, quoad altitudinem seu claritatem, non autem quoad inflexionem vocis.

D. Non tamen se signo Crucis signat ad verba *Da propitius pacem.*

XVI. Tunc Celebrans facta reverentia usque ad terram supponit Patenam Sacramento, quod in dextra accipiens e. *elevet, ut videri possit a Populo,* f. *& statim supra Calicem* g. *dividit in tres partes, quarum ultimam mittit in Calicem more solito, nihil dicens.* Pax Domini *non dicitur* h. *nec* Agnus DEI, *neque pacis osculum datur. Postmodum prætermissis duabus primis Orationibus dicit tantum sequentem* i. Perceptio.

E. Sola dextra manu elevat Hostiam, ne hoc die consecrata videatur.

F. Quod dum facit, sinistram, quæ patenam tenet, interea in Altari ponet. In ipsa autem elevatione nec Planeta attollitur, nec incensatur Hostia.

G. Prius a Diacono discoopertum, ut alias facere solet.

H. Ideoque nec signum Crucis fit cum particula immissa.

I. Junctis manibus, & super Altare positis.

XVII. Deinde omissis omnibus, quæ dici solent ante sumptionem Sanguinis, immediate particulam Hostiæ cum vino reverenter sumit de Calice; k. *& more solito, facta ablutione digitorum, & sumpta Purificatione, in medio Altari inclinatus, junctis manibus dicit* quod ore sumpsimus &c.

K. Quem Diaconus ante sumptionem iterum discooperit.

XVIII. Non dicitur Corpus tuum, Domine; *nec Postcommunio, nec* placeat tibi, *nec datur benedictio, sed facta reverentia Altari, Sacerdos cum Ministris discedit* l. *&*

dicuntur

dicuntur Vesperæ sine cantu, & denudatur Altare.

L. Nisi forte Venerabile Sacramentum in sepulchrum deferendum sit; tunc enim Hostiam tertiam, quæ Feria quinta ad hunc finem consecrata est, imponit Hierothecæ, ac descendens ad planum, imposito incenso incensat more solito Sacramentum, illudque post incensationem genuflexus a Diacono accipit, atque ad sepulchrum portat, ubi illud Diaconi genuflexi manibus committit in sepulchro collocandum, quo facto iterum illud incensat, Vesperasque cum Ministris, & aliis de Clero præsentibus recitat.

XIX. Ex hujus tamen consuetudinis Venerabile Sacramentum in Sepulturam deportandi occasione, quærunt nonnulli, quid faciendum sit, si Parochus, aut alius pro die Parasceves Hostiam majorem consecrare neglexerit? ℞. P. Gobat. *n.* 217. Hostiam minorem seu particulam, ut vocant, accipiendam esse. Quod si nec talis particula minor supperat, quærendum Sacerdotem, qui privatim de Cruce aut Passione Missam dicat; in defectu vero hujus posse ipsum Parochum privatim legere, non tamen sumere debere purificationem vel ablutionem, & postea Officium illius diei consueto more peragere.

TITULUS XV.

DE SABBATO SANCTO.

I. VOcatur Sabbatum hoc Sanctum duplici titulo juxta Gavantum *p.* 4. *tit.* 10. *num.* 1. 1. Quia Sanctus Sanctorum quievit in Sepulchro. 2. Quia nova Ecclesia Sacro Baptismi fonte sanctificatur. Porro de Officio hujus Sabbati sequentes præscribuntur Rubricæ in Missali.

II. Hora competenti cooperiuntur Altaria m. *& dicuntur Horæ candelis Altaris extinctis usque ad principium Missæ. Interim excutitur ignis de lapide foris Ecclesiam, & ex eo accenduntur carbones. Dicta Nona Sacerdos indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali violaceo, vel sine Casula, astantibus sibi Ministris cum Cruce* n. *aqua benedicta & incenso, ante portam Ecclesiæ, si commode potest, vel in ipso aditu Ecclesiæ, benedicit novum ignem dicens* o.

M. Gavantus hic *p.* 4. *tit.* 10. *lit. A.* putat, duplici pallio Altare esse vestiendum, scilicet violaceo super album, ità ut removeri cito queat violaceum circa finem Litaniarum.

N. Ministri debent esse violaceis induti paramentis, scilicet Planeta plicata, sed sine Manipulo. Accedunt autem ad portam Ecclesiæ hoc ordine. Præcedunt tres Acolythi, unus solus cum vase aquæ benedictæ, reliqui duo simul, quorum unus Thuribulum & Naviculam sine carbonibus, alter quinque grana incensi portant. Sequitur Subdiaconus Crucem portans, & post hunc Clerus per ordinem, & tandem Celebrans a sinistris Diaconum habens, omnes tecto capite, exceptis Subdiacono, Cæremoniario, & Acolythis Crucem præcedentibus. Bauld. *p.* 4. *c.* 20. *n.* 18.

O. Manibus junctis, ut alias similes benedictiones peragere solet. Diaconus tamen fimbriam Pluvialis attollit, quando ignem benedicit.

III. Deinde benedicit quinque grana p. *incensi ponenda in Cereo absolute dicens hanc Orationem* q.

P. Quæ juxta Rupertum apud Gavantum significant atomata a Mulieribus empta, ut ungerent JESUM.

Q. Quam dicit sine *Oremus* quasi conjungens novam benedictionem incensi cum benedictione ignis.

IV. Dum benedicit grana incensi, Acolythus r. *assumens de Carbonibus benedictis ponit in thuribulo, & finita Oratione supradicta, Sacerdos de Navicula ponit incensum, benedicens illud more solito: deinde prædicta grana incensi, & ignem ter aspergit* s. *aqua benedicta dicens:* Asperges me *sine cantu, & sine Psalmo, & ter adolet incenso* t. *Interim omnia luminaria Ecclesiæ extinguuntur, ut de igne benedicto postmodum accendantur.*

R. Thuriferarius scilicet, qui curam Thuribali habet.

S. Scilicet in medio, a dextris incensi, & a sinistris.

T. Ministrante semper Thuribulum & Aspersorium Diacono cum solitis Osculis.

V. Tum Diaconus indutus Dalmatica albi coloris u. *accipit arundinem cum tribus Candelis, in summitate illius triangulo distinctis. Præcedit Thuriferarius* x. *cum Acolytho deferente in vase quinque grana incensi. Sequitur Subdiaconus* y. *cum Cruce,* z. *& Clerus post Ordinem. Deinde Diaconus cum arun-*

arundine, post eum Celebrans. Cum Diaconus ingressus est Ecclesiam, inclinat arundinem, & Acolythus deferens candelam accensam de novo igne, accendit unam ex tribus illis candelis desuper positis, & Diaconus elevans arundinem genuflectit; similiter & omnes alii cum eo, præter Subdiaconum Crucem ferentem, & cantat solus Lumen Christi. ℟. DEO gratias. *Et procedens ad medium Ecclesiæ, ubi accenditur alia candela, & iterum genuflexus, ut supra, altius cantat* Lumen Christi. ℟. DEO gratias. *Tertio procedit ante Altare, ubi accenditur tertia candela, & rursus genuflexus ut prius, adhuc altius canit* Lumen Christi. ℟. DEO gratias. *Deinde Celebrans ascendit ad Altare in cornu Epistolæ,* a. *& Diaconus dat arundinem uni Acolytho, & accipiens librum petit a Celebrante benedictionem, ut fit ad Evangelium,* b. *Sacerdote dicente*: Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut digne & competenter annuncies suum Paschale præconium in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

V. Quia albus color festivus est, ideoque congruit Cerei benedictioni. Accipit autem non solum Dalmaticam & Stolam, sed etiam Manipulum album, uti Cæremoniale Episc. *l.* 2. *c.* 28. præscribit.

X. Posito prius incenso in Thuribulum a Celebrante cum solita benedictione.

Y. Qui & ipse Manipulum accipit ante hanc Processionem, sed violaceum, scilicet tempori, & Celebrantis Paramentis conformem.

Z. Quam facie ad Celebrantem conversa portat.

A. Faciens Cruci, si in Altari sit posita, convenientem reverentiam.

B. Non tamen dicit *Munda cor meum*, uti Bauldrius *n.* 28. notat, cum hæc Oratio ad benedictionem non ab Homine, sed DEO petendam ordinetur, hic autem a solo Celebrante benedictionem petere jubeatur.

VI. Postea vadit ad pulpitum c. *& ponit super eo librum, & incensat* d. *A dextris Diaconi stent Subdiaconus cum Cruce* e. *& Thuriferarius: a sinistris duo Acolythi, ille qui tenet arundinem, & alius tenens in vase quinque grana incensi benedicta figenda in Cereo* f. *Tum surgentibus omnibus* g. *& stantibus, ut fit ad Evangelium, Diaconus cantat*

Exul-

Exultet jam Angelica turba &c. h.

C. Quod veste alba vestitum esse convenit, & antea præparatum esse debet.

D. Non tamen de novo imponens incensum, ut notat Gavantus. *p.* 4. *tit.* 10. *litt. S.* Sed illud, quod ab initio Processionis impositum fuerat, usurpans. Quod si forte omnino fere consumptum esset, posset Thuriferarius cochleari aliud injicere ante, quam Thuribulum Diacono offerat.

E. Quæ iterum facie sua Celebrantem respicere debet, uti Cæremoniale Episc. monet.

F. Qui omnes librum Evangelii respiciunt, & rectam cum Diacono medio lineam efformare debent, juxta Gavantum *l. c.*

G. Clero videlicet, & Populo, nam Ministri prius stabant.

H. Porro circa benedictionem hanc Cerei sequentia sunt observanda. 1. Per ipsum Cereum recte Christum Resurgentem significari: per ceram quidem Corpus, per elychnium Animam, per lumen DEItatem; quinque grana infigenda quinque plagas Christi. 2. Grana hoc ordine esse infigenda; ut primum in superiori parte, secundum in medio, tertium in parte inferiori, quartum a dextris, quintum a sinistris infigatur. 2. Ubi Cereus accensus est, ab ipso, vel arundinis candelis lumen accipiendum, eoque lampades sepulchri accendendas esse, ut intelligatur omne lumen doctrinæ & gratiæ a Christo, qui est lux mundi, provenire.

VII. Completa benedictione Cerei, Diaconus depositis albis sumit violacea Paramenta, & vadit ad Celebrantem, qui exuitur Pluviali, & sumit Manipulum & Casulam violacei coloris. Postea leguntur Prophetiæ i. *sine titulo; & Celebrans legit eas submissa voce ad Altare in cornu Epistolæ.* k. *In fine Prophetiarum dicuntur Orationes modo subscripto* l. *Ante, vel interim, dum Prophetiæ leguntur, Presbyteri catechizent Catechumenos baptizandos, & præparent ad Baptismum.*

I. Quæ, cum sint duodecim, doctrinam duodecim Apostolorum designant. Leguntur autem juxta Cæremoniale Episc. *l.* 2. *c.* 27. in medio Chori, ut ab omnibus audiri queant. Sed & Ordo inter eas, quantum fieri potest, hic observari

vari

vari debet, ut primas legant Minores, postremas Majores, Gavant. *l. c. p.* 13. *n.* 19.

K. Potest tamen, ubi eas legendo absolverit, per breviorem viam cum Ministris (qui ei ad Lectiones perinde, ut ad Introitum; ad Orationes autem, ut alias, a tergo assistunt) ad sedile descendere, ibique sedere, donec Prophetia a Lectore, aut Tractus a Cantoribus fuerit absolutus.

L. Intellige quoad numerum Orationum; non autem quoad Tonum & Ritum, nam easdem manibus extensis, & Tono Feriali, ut alias canit.

VIII. His exceptis, si Ecclesia habuerit fontem baptismalem, Sacerdos benedicturus fontem accipit Pluviale violaceum, & praecedente Cruce m. *cum Candelabris & Cereo benedicto accenso, descendit cum Clero, & Ministris paratis ad fontem, & interim cantatur sequens Tractus.* Sicut cervus.

M. Quam iterum Subdiaconus portat.

IX. Postea procedit n. *ad benedictionem fontis, manibus junctis.*

N. Ordo autem Processionis juxta Bauldrium. *l c. t.* 22. *n.* 1. hic observandus est. Præcedit unus Acolythus portans secum unam aut alteram mappam ad tergendas manus Celebrantis, quando tetigerit aquam; & alter a dextris illius portans vas aquæ benedictæ vacuum cum aspersorio, & Stolam violaceam ponendam ad collum illius Sacerdotis, qui Populum postea aqua benedicta asperget. Deinde sequitur Acolythus ambabus manibus Cereum Paschalem ferens, post hunc Subdiaconus Crucem portans a duobus Ceroferariis comitatus; postea bini & bini ex Clero, & tandem ipse Celebrans, tecto capite, & junctis manibus, qui antequam procedat, Cruci profunde se inclinat, reliquis omnibus, excepto Subdiacono, Ceroferario, & eo, qui Cereum Paschalem portat, genuflectentibus. Ubi ad fontem venerint, Subdiaconus stat cum Ceroferariis ante Celebrantem, ita ut fons sit inter utrumque; Diaconus vero stat paulo post Celebrantem a dextris ejus, & prope eum Acolythus Cereum gestans cum altero Acolytho mappulam ferente a sinistris illius, omnes facie ad Orientem conversa, nisi situs loci impediat. Reliqui Clerici quasi in Circulo circumstant Celebrantem. Diaconus autem, quoties vel aquam tangit Celebrans, map-

pulam

pulam ei miniſtrat; aut fimbrias attollit, dum aquam benedicit; aut Cereum porrigit, dum eumdem in aquam immittere debet.

X. Ubi vero non eſt fons baptiſmalis, finita ultima Prophetia cum ſua Oratione, Celebrans Caſulam deponit, o. *& cum Miniſtris ante Altare procumbit, & aliis omnibus genuflexis cantantur Litaniæ in medio Choro idem ſimul reſpondente. Cum antem perventum fuerit ad Verſum* Peccatores, te rogamus, *Sacerdos & Miniſtri ſurgunt, & accedentes ad Sacriſtiam, induuntur Paramentis albi coloris pro Miſſa ſolemniter celebranda: & interim accenduntur luminaria in Altari. In fine Litaniarum cantantur ſolemniter* Kyrie eleiſon, *& repetuntur, ut in miſſa moris eſt.* p.

O. Uti & Miniſtri Planetas plicatas, ut facilius procumbere poſſint.

P. Unde tamen mature exire debet Celebrans cum Miniſtris, ut ipſo inchoante Principium Miſſæ, ſtatim & ipſi dicta *Kyrie eleiſon* cantare queant.

XI. Interim Sacerdos cum Miniſtris in Paramentis albis accedit ad Altare, & dicto Pſalmo Judica me DEUS *cum* Gloria Patri, *facit confeſſionem, ut moris eſt, in loco conſueto; deinde accedens oſculatur Altare, incenſat more ſolito, & finitis a Choro* Kyrie eleiſon, *incipit ſolemniter* Gloria in excelſis, *ſub quo pulſantur campanæ.* q.

Q. Intellige, ſi ſit Matrix, id eſt, primaria aut Parochialis Eccleſia; ante hanc enim non debent pulſari majores campanæ, ſed ſolum cymbalum. Dato autem ſigno in Matrice, dabitur etiam (licet longe poſt *Gloria in excelſis* cantatum) ſolemne ſignum in omnibus aliis Eccleſiis.

XII. Poſtea Sacerdos dicit Dominus vobiſcum.

XIII. Finita Epiſtola Celebrans incipit Alleluja, *& totum decantat ter, elevando vocem gradatim; & Chorus poſt quamlibet vicem in eodem tono repetit illud idem* r. *Poſtea Chorus proſequitur Verſ.* Confitemini.

R. Subdiaconus tamen prius cum libro ad ipſum accedit, & manum deoſculatur. Dum vero ipſum Alleluja cantatur, omnes ſtare debent.

XIV. Ad Evangelium non portantur luminaria, ſed tantum incenſum; petitur benedictio, & alia fiunt de more.

XV. Non

XV. Non dicitur Credo , *sed finito Evangelio Sacerdos dicit* Dominus vobiscum ℟. Et cum Spiritu tuo. *Et postea* Oremus *non dicitur* Offertorium ∫.

S. Ad Psalmum *Lavabo* non omittitur in fine *Gloria Patri.*

XVI. Dicitur Pax Domini sit semper vobiscum. *Sed pacis osculum non datur.* Agnus DEI *non dicitur , nec postcommunio. Dicuntur tamen consuetæ tres Orationes ante Communionem*

XVII. Post sumptionem Sacramenti, pro Vesperis t. *in Choro cantatur Antiphona* Alleluja , *& Psalmus* Laudate Dominum omnes Gentes *cum* Gloria Patri *in fine, & post repetitur eadem Antiphona. Capitulum, Hymnus, & Versus non dicuntur , sed statim Celebrans in Cantu incipit Antiphonam ad* Magnificat.

T. Pro quibus tamen non accipit Pluviale Celebrans , nec Ministri, sed sua Paramenta servant usque ad finem Missæ.

XVIII. Deinde cantatur Magnificat. u. *cum* Gloria Patri *in fine & fit incensatio, ut alias in Vesperis. Repetita Antiphona Celebrans dicit* Dominus vobiscum.

V. Quod Canticum, uti & Psalmum *Laudate*, Ministri cum Celebrante dicunt stantes , sicut in Introitu in aliis Missis.

XIX. Dubitant nonnulli , cum plurimorum Doctorum auctoritate tuta sit praxis, quæ in hoc Sabbato privatim a quovis Sacerdote Sacrum fieri posse concedit, uti P. Gobat. *n.* 228. testatur, quale sacrum eo die dicendum sit? qua in re diversæ sunt Auctorum sententiæ; alii enim cum Cotono & Dicastillo apud P. Gobat. *l. c.* ajunt, usum habere, ut Missa de Sabbato, præmisso Psalmo *Judica* , & Confessione, ut moris est dictaque Oratione *Aufer & Oramus te Domine* &c. incipiendo a *Kyrie eleison* usque ad finem , etiam cum Vesperis inclusive dicatur; alii Votivam aut Missam de Sancto occurrente dici posse censent: alii etiam Missas defunctorum, maxime, si eo die aut pridie obierint, dici posse arbitrantur, quas omnes sententias & praxes auctoritate sua tutas & probabiles esse ipse P. Gobat. *n.* 226. asserit.

TITU-

TITULUS XVII.

DE MISSIS TEMPORE PASCHALI.

I. SRituum Congregatio 19. Maji, 1607. censuit, regulariter Cereum posse accendi ad Missam & Vesperas solemnes in triduo Paschatis, in Sabbato in Albis, & Dominicis usque ad Ascensionem; in aliis servandam esse loci consuetudinem. In ipso vero Festo Ascensionis post Evangelium omnino extinguitur. Arnaud. *p.* 4. *tit.* 10. *n.* 30.

II. In Missis privatis Feria III. Rogationum, si fiat de Festo novem Lectionum, in illius Missa fit commemoratio Rogationum. Si autem Officium de Festo simplici fiat, potest dici Missa de eo cum Commemoratione Rogationum, vel Missa Rogationum cum Commemoratione Festi, Gavant. *p.* 4. *tit.* 12. *n.* 13. Si Festum non occurrat, dicitur Missa Rogationum; neque in ea fit Commemoratio de Officio Feriali, quod peculiare est hac die.

III. In Vigilia Ascensionis, si eo die Festum simplex cadat, secunda Oratio erit de illo, tertia de rogationibus (quæ in Officio nullam habent Commemorationem) Festum enim simplex præcedit tertiam & quartam Rogationum in Missa. Ibid. *n.* 14.

IV. Hoc triduo, si Festum non occurrat, Altarium minorum paramenta erunt Officio conformia, Altaris autem majoris, & Celebrantium in quocumque Altari conformia erunt Missæ Rogationum. Idem. *l. c.*

V. In Vigilia Pentecostes color albus usque ad Nonam, violaceus usque ad Missam, Rubeus deinceps adhibetur, qui & in privatis Missis hujus diei quoad vestes Celebrantium adhibendus, licet celebretur ante Nonam. De Simplici non fit Commemoratio, etiam in Missis privatis, licet in Officio facta sit. Idem. *n.* 19.

PARS V.

PARS V.

DE BENEDICTIONIBUS ET PROCESSIONIBUS.

ETiam hæc materia non dissimulanda videtur pro complemento hujus instructionis, utpote in qua vel maxime Sacerdotem exercitatum esse oportet. Quia tamen pleraque, quæ de Processionibus & Benedictionibus in specie dici possunt, accurate in Rituali Romano & Diœcesano descripta habentur, ideo ea potissimum hoc loco indicabo, quæ in genere circa easdem Sacerdoti sunt observanda; non nisi breviter explicando, si quid de aliqua sive Processione, sive Benedictione in specie fuerit singulariter notandum.

TITULUS I.

DE BENEDICTIONIBUS.

1. BEnedictio hic pro prece sumitur, qua Ecclesiastico more rebus ipsis specialis sanctitas confertur, ita, ut in usus prophanos deinceps transferri non possint. Gavant. *p.* 4. *tit.* 18.

II. Benedictionum aliæ sunt *Constitutivæ*, aliæ *Invocativæ*. Illæ sunt, per quas sive res, sive Personæ divino cultui dedicantur: istæ, per quas vel rebus, vel Personis auxilium divinum imploratur. Primi generis sunt Benedictiones aquæ, vestium Sacerdotalium, Mapparum, Altaris, Corporalium,& Vasculi pro SS. Eucharistia. Secundi generis sunt: Agni in Paschate, ovorum, panis, novorum fructuum, cujuscumque rei comestibilis, candelarum, loci, domus novæ, aut navis, thalami, quæ in Missali descriptæ sunt.

III. Habitus benedicturi Sacerdotis est Superpelliceum, & Stola regulariter alba; aliquando violacea, nempe in Benedictione Exorcismis conjuncta, unde ad aquam benedictam eo colore utimur. Potest tamen adhiberi color tempori conveniens. *Ibid.*

IV. Stando semper benedicit, & aperto capite, manuque for-

format signum Crucis versus rem ubi est nota, in fine autem aqua benedicta aspergit illam ter, hoc est, in medio, a dextris & sinistris rei benedicendæ, Orationes dicuntur manibus junctis.

V. Super Altare res benedicendæ quidem pleræque collocari possunt, non tamen esculenta; hæc enim potius extra Altare in mensa separata poni debent.

VI. In benedictione Cereorum, Cinerum, Palmarum hæc specialiter observanda sunt. Indutus Pluviali violaceo Celebrans, ubi ad Altare venerit, facta convenient reverentia, ascendit ad Altare, illudque osculans accedit ad librum, ubi stans inter utrumque Ministrum, prout ad introitum stare solet, legit Antiphonam, aut alia, quæ notantur in Missali: tum dicit Orationes manibus junctis, &, dum benedicit, manu dextra Cineres, aut Cereos, aut Palmas, Diaconus a dextris fimbriam anteriorem elevat. Deinde imposito incenso in thuribulo, ac de more benedicto, ter aspergit a medio, a dextris & sinistris res benedicendas, quas statim etiam ter eodem modo incensat. Qua benedictione completa cum Ministris ad medium Altaris accedit, ibique conversus ad Populum, ac stans inter Diaconum a dextris, & Subdiaconum a sinistris assistentes, accipit a digniore ex Clero Cineres vel Ramum, vel Cereum, & mox etiam ipsi, aliisque per Ordinem eosdem Cineres, Cereos, aut Ramos distribuit, ac denique post finitam distributionem rediens ad cornu Epistolæ præscriptam Orationem dicit, Ministris a tergo stantibus.

TITULUS II.

DE PROCESSIONIBUS.

I. DE his fuse agit integro tractatu Paulus Maria Quarti, qui *sect.* 1. *pu.* 2. *num.* 2. hanc ex Ferrario descriptionem Processionis affert: *Est religiosa precabundi agminis, certa cum ritu, obambulatio.* Eas Gavantus *p.* 1. *tit.* 19. *lit. C.* ex historia Evangelica & Turbis Christo in die Palmarum obviam euntibus ortum sumpsisse putat. Aliæ sunt *Ordinariæ*, ut in Festo Purificationis, Litaniis majoribus & minoribus.

minoribus. Aliæ *Extraordinariæ*, quæ auctoritate Episcoporum, aut aliorum legitimorum Superiorum instituuntur. Gavant *l. c.*

II. In omnibus Processionibus præcipuum, & generale est, ut crux inter duos Ceroferarios candelabra accensa deferentes præferatur, ita ut imago terga vertat Clero sequenti, quasi præire videatur.

III. Quoad ordinem standum est consuetudini locorum; decet tamen, ut primo loco Fraternitates, deinde Regulares, & tandem Clerici tamquam honoratiores Crucem sequantur. Si vero Clerici aut alii deferant candelas accensas aut ramos Palmarum, tum, qui a dextris procedunt, dextra quoque manu eosdem portent, & altera n manum pectori applicent. Bauldrius *l. c. n.* 4. & 9. Qui vero a sinistris incedunt, sinistra, vel ramos, vel accensum Cereum, elatum ad æqualem proportionem, cum suo quisque collaterali deferant, alteram manum pectori admoventes. Gelac. *p.* 4. *tit.* 5. §. 23. Per angustiorem locum transeundo, junior præcedit, subsequitur senior; superatis angustiis eodem, ut prius, modo incedunt. Si procedentium numerus impar fuerit, ultimi duo medium habent seniorem, qui etiam solus, maxime, si Prælatus fuerit, aut loci Superior, post omnes incedere poterit, Gerlac. *p.* 4. *tit.* 5. §. 29.

IV. Extra Ecclesiam omnes caput tegunt, nisi SS. Sacramentum deferatur, aut ex professo insignis aliqua Reliquia. Gerlac. *p.* 4. *tit.* 5. *n.* 32. Cantores dum soli cantant, semper sint nudo capite.

V. Quando fit Processio ante vel post Missam, Diaconus & Subdiaconus Dalmaticis suis induti Sacerdotem comitantur, & fimbrias elevant Pluvialis, nisi forte Subdiaconus Crucem portet, tunc enim Diaconus a sinistris Celebrantis incedit sine elevatione fimbriarum. Quando vero fit Processio alio tempore v. g. post Vesperas, Pluvialia assumunt, exceptis Processionibus SS. Sacramenti, in quibus semper Dalmatica utuntur. Bauldrius *l. c. n.* 21. & 22.

VI. Reliquas Processionum Cæremonias quod attinet, in Ordinariis quidem serventur, quæ in Missali in Festo Purificationis, & dominica Palmarum præscribuntur; in Extraordinariis vero illæ, quæ vel in Ritualibus Diœcesa-

nis notantur, vel certe, quæ per consuetudinem in una aut altera particulari Ecclesia pie & rationabiliter sunt introductæ, observentur.

VII. Quia tamen frequenter instituuntur Processiones cum Venerabili Sacramento, ideo breviter hic annotabuntur, aut potius in memoriam revocabuntur generales quædam Regulæ, quæ in omnibus locis ob reverentiam huic Sacramento debitam observari debere videntur.

VIII. Primo ergo diligenter attendat Celebrans, ne Casulam supra Altare exuat; sed potius ad cornu Epistolæ se retrahens extra illud in plano Pluviale assumat, nisi forte jam ante in plano consistat, aut omnino ad Sacristiam redire malit, uti aliqui faciunt.

IX. Secundo, ut ad medium Altaris e Sacristia procedens genu utrumque flectat in infimo gradu, ibique parum orans, & ad secundum gradum ascendens, ac thus imponens, SS. Sacramentum in supremo gradu flectens ter incenset, ante & post profunde se inclinans.

X. Tertio, ut manens genuflexus SS. Sacramentum a Diacono accipiat junctis manibus, quas deinde primum Diaconus velo cooperit, ut non videantur; sicque teneat Monstrantiam, ut Hostiæ imago Populum respiciat; tum surgat, & versa ad Populum facie exspectet, donec Clerus & alii Ministri præcesserint.

XI. Quarto, ut, ubi in fine Processionis ad Altare redierit, Diacono in supremo gradu Altaris ad cornu Epistolæ genuflexo stans in secundo gradu Sacramento porrigit, &, ubi is illud in Altari collocaverit, ipse retento adhuc super humeros velo, ut vult Bauldr. *p.* 4. *c.* 26. *n.* 13. incensum in thuribulo sine benedictione imponat, SS Sacramentum more solito incenset, & tum, ubi Ministri Versum *Panem de cœlo* cecinerint, ipse in plano, ad quod statim post incensationem ex supremo gradu descenderat, Orationem de Venerabili, & (si alicubi, maxime in Oratione decem aut quadraginta horarum, consuetudo sic exigat) etiam Orationem de B. Virgine, & *DEUS refugium*, vel pro pace subjungat; qua in re cujusque loci consuetudo attendenda & servanda erit.

XII. Ut his Orationibus finitis ascendat ad Altare, genufle-

nuflectat, & fine ullo Diaconi Ministerio velatis manibus, ut prius, Monstrantiam accipiat, seque ad Populum vertens, eumdem, facie Hostiæ ad ipsum Populum versa, simplici Cruce benedicat, nihil dicens, nisi forte alicubi consuetudo sit, ut ipse ex penultima & ultima stropha Hymni *Pange lingua* primos cujusque strophæ Versus canat, respondente Choro; tum enim hunc morem servare, & ad illa verba: *Sit & benedictio*, Populum simplici Cruce benedicere poterit. Bauldrius *l. c. n. 21. & 22.*

XIII. Incensatio à duobus Acolythis duobus modis fieri potest. Primo, si Acolythi alternatim incensent duobus thuribulis, ut fit in incensatione Personarum. Secundo, si præcedant, hinc inde moventes manibus dextris thuribula de iisdem pendentia & effumantia, quasi sternendo viam SS. Sacramento cum odore incensi. Qui modus est magis usitatus & majorem reverentiam notat erga SS. Sacramentum, Gavant. *tit 8. lit. Q.*

PARS VI.

Continens Rubricas de Ritu Celebrandi Missam, brevibus Notis illustratas.

Etsi ea, quæ hactenus de Missa tam in Communi quam in particulari diximus, sufficere possunt ad praxin Cæremoniarum facilem reddendam; quia tamen ex una parte non parum ad Ritus ipsos perfectius addiscendos conducit, si in ipso etiam Missali, velut in Fonte, legantur, ex altera vero parte Missalia, in quibus ea Tirones legant, plerumque habere ad manum non possunt, aut certe non satis intelligunt, ideo non parvam ipsis me gratiam præstiturum spero, si non tantum ipsas Rubricas de Ritibus in celebranda Missa observandas in sexta hac parte proposuero; sed etiam Notas breves, quibus ea, quæ obscurius proposita videbuntur, nonnihil illustrentur, addidero.

TITULUS I.

DE PRÆPARATIONE SACERDOTIS CELEBRATURI.

I. *Sacerdos Celebraturus Missam, prævia Confessione Sacramentali, quando opus est,* a. *& saltem Matutino cum Laudibus absoluto* b. *Orationi aliquantulum vacet, & Orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat* c. *Deinde accedit ad locum in Sacristia, vel alibi* d. *præparatum, ubi Paramenta, aliaque necessaria habentur; accipit Missale, perquirit Missam, perlegit, & signacula ordinat ad ea, quæ dicturus est.*

A. Id est, quando reatum peccati lethalis contraxit, & copiam Confessarii habet. In tali quippe casu non jure dumtaxat Ecclesiastico, sed, ut teste P. Gobat in Alph. Sacrif. n. 233. permultis placet, etiam jure divino ad Confessionem obligatur. Quamquam non obstante hoc præcepto, omnino consulendum sit, ut Sacerdos, etsi venialibus dumtaxat peccatis obnoxium se agnoscat, quam creberrime potest, eadem peccata apud legitimum Sacerdotem expiet.

B. Ubi notanda est doctrina P. Gobat *l. c. n.* 208. sic loquentis: Sacerdoti confitenti, se persæpe postponere recitationem Matutini Sacrificio, ne, quæso, injicias scrupulum peccati mortalis; nam sententia magnorum Virorum moventium ejusmodi scrupulum vix est probabilis, nisi à sola auctoritate. Imo ne venialiter quidem peccavit ille Sacerdos faciendo hanc postpositionem, si non nimis sero facit, ad aram Suar. de relig. to. 2. l. 4. c. 24. Tambur. c. 7. §. 2. bene refutans Palaum. Verum ne sequere hanc sententiam sine rationabili causa. Ita ille.

C. Unde recte Ferdinandus de Castro p. 1. c. 7. §. 1. n. 1. Tamburinus, & plerique alii Theologi colligunt, nullam esse obligationem, illas preces recitandi, licet omnino suadendum sit, ut recitentur ab iis, qui nullis aliis negotiis impediti commode eas possunt recitare. Quod si alicui longæ nimis videantur, poterit eas juxta praxin nonnullorum hoc modo contrahere.

NE reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel Parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Quæ Antiphona in Festis Duplicibus dumtaxat duplicatur, & in fine, tempore Paschali, *Alleluja* additur.

Credidi, propter quod locutus sum : ego autem humiliatus sum nimis. Ego dixi in excessu meo : Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?

Calicem Salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni Populo ejus : pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus : ego servus tuus, & filius Ancillæ tuæ.

Dirupisti Vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis Populi ejus; in atriis Domus Domini, in medio tuo Jerusalem.

Gloria Patri, & Filio, & spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel Parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem*
℟. *Sed libera nos a malo.*
℣. *Sacerdotes tui induantur justitiam.*
℟. *Et Sancti tui exultent.*
℣. *Ab occultis meis munda me, Domine.*
℟. *Et ab alienis parce servo tuo.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

OREMUS.

AUres tuæ pietatis, mitissime DEUS, inclina precibus nostris, & gratia Sancti Spiritus illumina cor nostrum; ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna charitate diligere mereamur.

Conscientias nostras, quæsumus Domine, visitando purifica, ut veniens Dominus noster JESUS Christus Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Alii communiter etiam Orationem *Ego volo celebrare &c.* quæ p. 1. fol. 17. reperitur, præmittunt, utpote quam recitantibus Gregorius XII. quinquaginta annorum indulgentias concessit.

D. Modo non in Altari (hoc enim solis Episcopis & Cardinalibus fieri debere, S. Rituum Congregatio 1612. decrevit) absque necessitate collocentur sacræ vestes; aut certe, si alius locus honestus haberi non queat, non in medio, sed ad cornu Evangelii ponantur.

E. Quod quidem recte fit in ipsa Sacristia, ne in Altari cum molestia aliorum diu Missam perquirere oporteat. Quod si tamen alicubi mos sit, ut Præfectus, vel Custos templi, aut Cæremoniarius omnia ad Missam pertinentia disponat; atque adeo etiam signacula ordinet, potest Celebrans omittere eam inquisitionem. Quod etiam facere potest, si plures alios ante ipsum eamdem Missam legisse sciat.

II. Postea lavat manus, f. dicens Orationem inferius positam. g.

F. Quam lotionem omittere non debet Celebrans, cum multi Auctores velint, eam sub veniali peccato obligare, utpote ob specialem reverentiam Sacramenti institutam.

G. Quæ est hæc: *Da Domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam, ut sine pollutione mentis & corporis valeam tibi servire.*

III. Deinde præparat calicem (qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere Cuppam argenteam intus inauratam, & simul cum Patena itidem inaurata h. *ab Episcopo consecratus* i. *) super os ejus ponit Purificatorium* k. *mundum* l. *& super illud Patenam cum Hostia integra, quam leviter extergit, si opus est, a fragmentis* m. *& eam tegit parva linea* n. *tum velo serico :* o. *super velo ponit bursam* p. *coloris Paramentorum, intus habentem Corporale* q. *plicatum, quod ex lino tantum esse debet, nec serico vel auro intertextum, in medio* r. *totum album, & ab Episcopo, vel alio* haben-

habente facultatem, simul cum Palla benedictum.

H. In necessitate tamen etiam cupreus & stanneus sufficit juxta probatos Auctores apud P. Gobat. n. 114. nec necessario inauratus esse debet, si argenteus sit vel stanneus, licet ob majorem reverentiam suadendum sit, ut fiat.

I. Ita ut ob varios textus Juris juxta communem sententiam lethale sit crimen, in Calice non benedicto consecrare. Etsi vero Diana p. 5. tr. 13. res. 65. cum pluribus a se citatis, putet sufficere, si bona fide in Calice non consecrato fuerit Sacrificium peractum; securior tamen est sententia Lugonis & Dicastillo apud P. Gobat n. 176. volentium, etiam in tali casu benedicendum esse.

K. Quando non necessario benedictum esse debet, teste Gavanto *p. 2. tit. 1. lit. I.* cum Suar. ib. c. cum nullam de benedictione mentionem faciant Rubricæ; unde P. Gobat. n. 180. etiam strophiolum mundum pro purificatorio adhiberi posse putat, modo hoc deinceps non amplius usurpetur ad nasum tergendum. Imo eum, qui sine Purificatorio in casu, quo haberi non posset, celebraret, gravis peccati minime reum fore censet idem Auctor.

L. Unde graviter reprehendendos communiter Auctores dicunt illos, qui Purificatoriis minus mundis utuntur ad Calicem, & forte etiam sanguinem Christi adhuc in eo hærentem extergendum.

M. Puta, utraque manu extremas oras Hostiæ (nam in his potissimum hærere solent fragmenta) parum fricando.

N. Sic dicta, quia Calicem palliat, seu tegit, ne aliquid indecens in illum cadat. Unde secundum eam saltem partem, qua Calicem tangit, & tegit, ex lino vel cannabe esse debet, licet in extrema parte serico vel auro ornari queat. Gavantus *p. 2. tit. 1. lit. M.* ait, ab aliquibus duplicem Pallam adhiberi, unam scilicet pro Hostia, alteram pro Calice, quos tamen sine Pontificia facultate non imitandos esse ait.

O. Intellige, si possit commode ex tali materia haberi; alioqui enim ex alia etiam adhiberi posset; imo sine illo in casu necessitatis celebrare posse absque gravis culpæ reatu, docet iterum P. Gobat. *l. c.* cum Gavanto contra Victorinum sine auctoritate & ratione peccati gravis damnantem eos, qui sine velo tali celebrarent. Certe Gavantus olim antiquos

nullo omnino velo, nec bursa, nec Purificatorio, sed parvis tantum mantilibus ad tergendas manus usos fuisse ex Beda docet, eo quod putarent sine illis non incommode Sacrificium peragi posse. Convenit tamen, si haberi potest, ejusdem esse coloris cum reliquis paramentis.

P. Bursam vocant Rubricæ Reconditorium illud, in quod Corporale, ne maculetur, inseritur. De qua quidem Bursa quatuor observanda monet Gavantus *p. 2. tit. 2. lit. N.* 1. Convenire, ut Crux in medio illius inferatur, ut mos est. 2. Ut sic supra velum ponatur, ut pars aperta Celebrantem respiciat, veli anteriore parte super eam revoluta, ut integrum Corporale tegatur. 3. Corporale in ea includendum esse, quia alioqui frustranea esset; sed & ipsa Rubrica clara monet, intus ponendum; & ideo Gavantus l. c. testatur, Pium V. cum Hispanis dispensasse, ut Corporale extra Bursam portare possint. 4. Ejusdem Coloris cum Paramentis esse debere. Ex quibus tamen quatuor observandis, prima duo a multis sine scrupulo negliguntur, posteriora autem duo omnino observare conveniret, utpote expresse in Rubricis præscripta, nisi forte tam magnum esset Corporale, ut commode in Bursam inseri non possit.

Q. Sic dictum, quia in eo ponitur Corpus Christi; unde ex lino, vel, ut Azor l. 10. c. 28. q. 8. etiam concedit ex cannabe, saltem secundum interiorem partem esse convenit, tum quia Syndonem Christi juxta Sylvestrum & alios repræsentat; tum quia sic particulæ de corpore Christi facilius colligi possunt. Præterea etiam mundum valde ob reverentiam Sacramenti esse decet, ita ut Gavantus *l. c. lit. Q.* asserat, communem sententiam peccati mortalis damnare eos, qui notabiliter immundum adhiberent. Benedictum quoque esse debere cum Palla (pro quibus prorsus una tantum in Pontificali benedictio habetur) expresse Rubricæ monent: quæ tamen benedicto repeti non debet, si iterum lavetur. Etsi vero Gavantus *lit. P.* ex Alcuino referat, ita plicandum esse, ut neque initium, nec finis appareat, idque ab accuratioribus in disciplina Ecclesiastica observari asserat, id tamen a plerisque sine scrupulo negligi, quotidiana experientia docet.

R. Nam in exteriori parte serico vel auro ornari posse, Suarez. p. 3. d. 81. n. 6. & alii concedunt, & ipse usus confirmat.

firmat.

IV. Quibus ita dispositis accedit ad Paramenta, quæ non debent esse lacera aut scissa, s. *sed integra & decenter munda & pulchra,* t. *& ab Episcopo vel alio facultatem habente* u. *benedicta; calceatus pedibus,* x. *& indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat:* y. *induit se, si sit Prælatus sæcularis supra Rochetum,* z. *si sit Prælatus Regularis, vel alius Sacerdos sæcularis, supra superpelliceum* a. *si commode haberi possit, alioquin sine eo supra vestes communes, dicens ad singula singulas Orationes inferius positas.* b.

S. Intellige notabili, & tali maxime, quæ ad benedictionem perdendam sufficeret, qualis foret censenda, si incepta ad illum usum, pro quo adhibetur, fieret; unde juxta probabiliorem Dicastillo d. 4. n. 273. & Jordanis l. 4. tit. n. 273. sententiam male aliqui cingulum ruptum, nodo iterum connectunt, & usurpare pergunt, cum cingulum tale (si quidem neutra pars sufficiat ad cingendum Sacerdotem) vere amiserit benedictonem per rupturam; licet opposita Dianæ tr. 14. resol. 57. & Emmanuelis Saa sententia, teste P. Gobat. n. 203. & 197. non sit omnino improbabilis.

T. Unde Silvester, Gavant. & alii iterum gravis peccati damnant eos, qui in Paramentis enormiter immundis celebrarent.

V. Quales ordinarie sunt etiam Prælati vel superiores Religiosi habentes quasi Episcopalem potestatem.

X. Quod ad majorem honestatem præscriptum putat Suarez. 3. p. d.82. s.3. contra Silvestrum, & Sotum apud Gavant. p. 2 tit. 2. *lit. X.* unde & laudandi sunt Religiosi illi, inquit idem Gavantus, qui deponunt illud calceamenti genus, quo nudos pedes tegere solent, & crepidas ad hunc usum paratas adhibent.

Y. Recte tamen monet Gavantus l. c. *lit. T.* in Clericis Peregrinis & Rusticanis tolerari posse vestes breviores, modo non nimis breves sint.

Z. Rochetum est linea vestis in hoc a communibus aliorum Clericorum superpelliceis distincta, quod manicas habeat angustiores, ut manus sint expeditiores, Gavant. l. c. *lit. Z.*

A. Sic

sempiternis.

G. Intellige, si a Ministro porrigitur; si enim ipse sibi eam adaptet, non videtur esse necessaria hæc Cæremonia.

H. Aliqui tamen fere commodius ad Albam rite adaptandam prius cingulo se præcingunt, & tunc sinistra manu cingulum tenentes (dum attrahitur Alba, convolvatur) dextra Albam attrahunt, &, dum Manipulum inducunt, se vertentes, Ministro Albam adaptandam relinquunt.

I. Dicens interea: *Præcinge me, Domine, cingulo castitatis, & extingue in me humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ & castitatis.*

VII. Sacerdos accipit Manipulum, k. *osculatur Crucem in medio*, *& imponit brachio sinistro* l.

K. Teste Gavanto. p. 2. tit. 1. *lit. H.* a Ruperto primum, nescio, qua de causa sic vocatum; nam olim Mappula parva ab Ordine Romano appellabatur, qua pituita oculorum, narium, & oris detergebatur: sed nunc substantia quidem retenta est, finis autem sublatus, cum ejusdem plerumque sit materiæ cum Casula seu Planeta, atque adeo ad pituitam abstergendam adhiberi non conveniat.

L. Gavantus. l. c. *lit. L.* infra cubitum ligari vult Manipulum; sed quia sic perpetuum foret periculum, ne decidat; & præterea multum impediret Sacerdotem in suis functionibus, rectius a plerisque supra cubitum ligatur. Dum vero eum induit, interea dicit: *Merear, Domine, portare Manipulum fletus & doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.*

VIII. Deinde ambabus manibus accipiens Stolam, m. *simili modo* n. *deosculatur*, *& imponit medium ejus collo.* o. *ac transversando eam ante pectus in modum Crucis, ducit* p. *partem a sinistro humero pendentem ad dextram, & partem a dextro humero pendentem ad sinistram; sicque utramque partem Stolæ extremitatibus Cinguli hinc inde ipsi cingulo conjungit.* q.

M. A Græco στολὴ, id est, indumentum dictam; quam alii Orarium cum Ordine Romano vocant, eo quod proprium Concionatorum sit ornamentum & habitus.

N. Id est, in medio, ubi Crux cernitur.

O. Ita ut, quam fieri potest, proxime sit adstricta collo; nam remotius eam conjunctam habere, Episcoporum est

pro-

proprium, teste Gavanto. *l. 2. lit. N.*

P. Sicut prius incipiat partem sinistram ad dextrum latus attrahere, ut dextra pars supra sinistram ponatur.

Q. Inserendo videlicet extremas partes Cinguli libere pendentis illi parti cinguli, qua cingitur exterior pars Stolæ dextro lateri proxima. Dum vero dicto modo Stolam induit, interea sequentem Orationem dicit.

Redde mihi, Domine, Stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi Parentis; & quamvis indignus accedo ad tuum sacrum Mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

IX. Postremo Sacerdos accipit Planetam. r.

R. Seu Casulam, ut communiter cum Ordine Romano vocatur; cujus tamen utriusque appellationis nulla solida causa affertur a Rubricistis. Non præcipitur autem, ut caput hic inclinet, sicut in Alba induenda facere jussus est, quia Casula aptius illi applicatur, si erectus stet; Alba vero, nisi se parum inclinet, non tam facile ipsi admovetur. Dum induit Planetam, sequentem dicit Orationem.

Domine, qui dixisti, Jugum meum suave est, & onus meum leve, fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam.

Porro de necessitate harum vestium sequentes doctrinas probabiliter tradunt Auctores. 1. Posse has vestes etiam ex profanis Mulierum vestibus confici, uti Suar. Palaus. Tam. apud Busenb. l. 6. tr. 3. c. 3. dub. 5. n. 3. concedunt. 2. Debere omnes esse ab Episcopo, vel alio privilegium habente benedictas. 3. Peccatum esse mortale, si sine omnibus his vestibus (extra casum, quo mors aut aliud gravissimum damnum non cedens in contemptum Religionis immineret) quis celebraret; ita enim, teste P. Gobat. n. 193. omnes Doctores sentiunt, imo Tambur. l. 1. c. 5. §. 1. in nullo simpliciter casu sine omni veste sacra celebrari posse contendit. 4. Per accidens in gravi necessitate licite sine aliqua ex his vestibus, v. g. sine Stola, aut Manipulo celebrari, uti P. Gobat. n. 194. & Layman. l. 4. tr. 5. c. 6. docent; similem autem causam gravem judicant illi esse, si v. g. grave murmur, aut scandalum Populi timendum, aut infirmus communicandus sit, non autem, si præcise præcepto Ecclesiæ de audienda Missa, aut Regulæ vel Fundationi Beneficii satis-

tisfaciendum sit. Verum Tamburinus. l. 1. c. 3. §. 1. n. 3. q. 5. concedit, licitum esse sine una e minoribus vestibus, v. g. Cingulo aut Manipulo celebrare, præcise ob fervorem devotionis, necessitatem audiendi Sacri, acquisitionem Stipendii, si non sit dives Sacerdos. 5. Quando deest Cingulum, posse illius loco Stolam accipi; aut, si Stola deest, Manipulum pro Stola usurpari, uti P. Gobat & Laym. ll. cc. concedunt.

TITULUS II.

DE INGRESSU SACERDOTIS AD ALTARE.

I. SAcerdos omnibus Paramentis indutus, accipit manu sinistra Calicem, ut supra præparatum, s. *quem portat elevatum ante pectus, bursam manu dextra super Calicem tenens;* t. *& facta reverentia* u. *Cruci vel imagini illi,* x. *quæ in Sacristia erit, capite cooperto accedit ad Altare, Ministro cum Missali, & aliis ad celebrandum necessariis.* y. *(nisi ante fuerint præparata) præcedente, superpelliceum induto;* z. *procedit autem oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore. Si vero contigerit eum transire ante Altare majus, capite cooperto faciat ad illud reverentiam* a. *Si ante locum Sacramenti, genuflectat* b. *Si ante Altare, ubi celebretur Missa, in qua elevatur, vel tunc ministratur Sacramentum,* c. *similiter genuflectat, & detecto capite illud adoret, nec ante surgat, quam Celebrans deposuerit Calicem super Corporale.* d.

S. Qui si remotior sit a loco, ubi stat Sacerdos Celebraturus, juxta praxin illorum, qui vestium Sacrarum integritati consulere volunt, eumdem accipit, & in mensa, ex qua Paramenta accipiebat, collocat ante, quam Casulam induat, ne, si post eam acceptam primum Calicem arripiat, Casulam loco Paramentorum affricans corrumpat.

T. Communis consuetudo habet, ut strophiolum mundum pro detergendis aut purgandis, si opus est, naribus supra bursam collocetur; quæ vel ex eo capite tolerari facilius potest, quod olim, ut supra insinuatum est, Manipulus eum in finem fuerit adhibitus. Alii tamen, ne Strophiolum tale super Altare (in quo nihil ad Sacrificium non pertinens col-

locari deberet) ponere cogantur, illud explicatum sub Casula ex Cingulo suspendunt, ut, si necessitas exigat, servire possit, quod iis maxime suadendum, qui catarrho aut pituita laborant, atque adeo strophiola non parum fœdant, & commaculant, ut non deceat illa super Altare ponere.

V. Profunda intellige, quod semper observandum est, quando Cruci fit reverentia.

X. Unde curandum est, ut semper in Pariete loco Paramentorum oposito Crux aliqua vel imago suspendatur.

Y. Puta urceolis, mantili pro extergendis manibus, cereis &c. quæ tamen omnia prius in Altar rectius collocantur.

Z. Quod majoris honestatis causa omnino decet fieri; si tamen commode haberi non possit, aut alia rationabilis causa suadeat non adhibendum esse, poterit Minister in ordinario vestitu ministrare, sicut in Hispania passim etiam Magni Domini ministrant.

A. Iterum profundam intellige, cum ordinario ibi Crux etiam exposita prostet, cui semper, ut supra dictum, profunda reverentia facienda est.

B. Unicum scilicet, quod tamen dum flectit, communior praxis habet, ut caput detegatur, quod nostræ Germaniæ specialiter a Sede Romana concessum est, ob Hæreticos & alios, qui scandalizari possent, si Sacerdos ante Venerabile transeuntes, & caput non aperientes viderent.

C. Per hoc verbum *Ministratur*, videtur sat clare significari, utrumque genu flectendum esse, quando Celebrans Communionem distribuit sub Sacro; alioqui enim frustraneum esset illud verbum *Ministratur*; sed hoc ad summum intelligi potest, quando uni tantum vel alteri Personæ Sacramentum ministratur, si enim longior foret Communio, utique hæc Rubrica non exigeret continuari genuflexionem usque ad finem illius.

D. Gavantus p. 2. tit. 2. *lit. E.* putat, Sacerdotem, si ante Altare, in quo exposita sit Reliquia insignis illius Sancti, de quo fit Festum, transeat, etiam aperiendum caput, & profundam inclinationem faciendam esse; sed, si Rubricæ ipsi SS. Sacramento negant apertionem capitis, quanto magis talibus Reliquiis negabunt? sufficeret ergo in tali casu inclinatio profunda, exceptis iis locis, in quibus etiam ipsi SS. Sacra-

Sacramento caput detegitur, in his enim hæc Cæremonia etiam Reliquiis dictis exhiberi posset.

II. Cum pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit, birretum Ministro porrigit, & Altari seu imagini Crucifixi desuper posita profunde inclinat. Si autem in eo e. *sit Tabernaculum sanctissimi Sacramenti, genuflectens debitam facit reverentiam. Tunc ascendit ad medium Altaris, ibi ad cornu Evangelii sistit Calicem, extrahit Corporale de Bursa, quod extendit* f. *in medio Altaris, & super illud Calicem velo coopertum collocat.* g. *Bursam autem ad cornu Evangelii.* h. *Si in Altari Paramenta accipit, hoc idem facit, antequam descendat ab Altari,* i. *ut Missam incboet.*

E. Unde, si ad latus in Pariete sit SS. Sacramentum, non debet tunc illi fieri genuflexio, ut aliqui non bene faciunt, sed Altari, quia non ad Sacramentum, sed ad Altare in tali casu accedit.

F. Ita ut ora Corporalis oram Altaris tangat. Quod si Corporale, ut plerumque fit, Cruce in aliqua parte mediæ extremitatis signatum sit, convenit illam partem oræ Altaris obverti, ut monet Gavantus *p. 2. tit. 2. lit. l.* ex actis Mediolanensibus.

G. Quia cum Calix Mysterium Passionis repræsentet, decet illum abscondi, donec ad initium Offertorii illud Mysterium repræsentari incipiat.

H. Quod, sicut alia pleraque in Missa, dextra manu, reverentiæ causa fieri convenit.

I. Nisi ante, quam Paramenta acceperit, id fecerit, ut

III. Collocato Calice k. *in Altari, accedit ad cornu Epistolæ,* l. *Missale super cussino* m. *aperit, reperit Missam, & signacula suis locis accommodat.* n. *Deinde rediens ad medium Altaris; facta primum Cruci reverentia,* o. *vertens se ad cornu Epistolæ,* p. *descendit ad infimum gradum Altaris, ut ibi faciat Confessionem.*

K. Quod ita facit, ut manu sinistra sub velo Calicem apprehendat, & non velum cum Calice, ne velum in plicas comprimat.

L. Ita tamen, ut prius profundam reverentiam faciat Cruci, ut monet Gavantus ex libello Cærem. Missæ edito

Romæ

Romæ 1628. & merito, quia, ſicut SS Sacramento expoſito ſit genuflexio, quoties accedit, vel recedit a medio, ita Cruci quoque in ſimili caſu profunda ſaltem reverentia facienda eſt.

M. Vel pulpito, quod alicubi pro cuſſino adhibetur; neque enim hic cuſſinus determinate adhibendus præſcribitur, ſed potius ex communiori praxi uſurpatus ſupponitur.

N. Cum hoc ipſum jam ſupra Rubricæ fieri præceperint ante, quam Paramenta acciperet Sacerdos, videtur hic ſupervacanea eſſe ſignaculorum diſpoſitio; ſed dici forte poſſet, Rubricam ſupra ſuppoſuiſſe, quod ſignacula ita ſint diſponenda, ut omnia ad unam oram Miſſalis, & intra illud ſecundum ſuperiores partes clauſa dependeant; hic vero ad latus extrahantur, ut citius & facilius a reliquis ſignaculis dignoſci, locique ſignati reperiri queant.

O. Aliqui hic ante deſcenſum intentionem faciunt nonnihil ſubſiſtentes, quod non videtur eſſe contra Rubricas, modo poſtea deſcenſuri iterum reverentiam Cruci faciant.

P. Quod ſemper facit, quoties ſe vertit, eo quod dextrum latus ſit honeſtius, atque adeo ad illud quoque prius converſionem fieri conveniat.

IV. In Miſſa ſolemni Miſſale apertum ſuper Altare, Calix vero & alia neceſſaria præparentur in Credentia q. *cooperta linteo, antequam Sacerdos veniat ad Altare. Ipſe autem* r. *procedit cum Diacono & Subdiacono, qui capite cooperto ſimul cum eo tenente manus junctas ante pectus. Acolythi* ſ. *vero ante eos deferunt candelabra cum candelis accenſis, quæ deinde collocantur* t. *ſuper Credentia: & , cum pervenerit ad infimum gradum altaris, ibi medius inter Diaconum a dextris, & Subdiaconum a ſiniſtris, antequam aſcendat ad Altare, facit cum ipſis (ut infra) Confeſſionem.*

Q. Id eſt, in menſa brevi, demiſſa, ſimplice a latere Epiſtolæ poſita, ſine gradibus, ſine Cruce vel imaginibus, cooperta linteo uſque ad terram undequaque pendente uti Cærem. Epiſc. l. 1. c. 12. deſcribit. Pernecesſaria autem, quæ ibi poni jubentur, intelliguntur Miſſale unum vel duo pro Sacerdote & Miniſtris, Velum longum pro Subdiacono, Pelvicula cum urceolis & manutergio, Calix cum Purificatorio, Hoſtia in Patena, Palla, Velo, Burſa, Corporali. Calix

lix autem erit in medio Credentiæ, cætera hinc inde.

R. Ita tamen, ut, antequam e Sacristia exeat, capite aperto imponat incensum in thuribulum, ministrante Diacono naviculam, & Thuriferario thuribulum, cum benedictione, eo prorsus modo, qui alias adhiberi consuevit.

S. Acolythi, seu latine Ceroferarii, quantum fieri potest, pares sint in statura, ut candelabra sint æqualia in motu; sed & sic eadem portent, ut a dextra parte incedens, dextram nodo medii candelabri, & sinistram pedi ejusdem apponat; contrarium vero faciat, qui a sinistris incedit.

T. Gavantus p. 2. tit. 2. *lit. B.* vult eas in anterioribus Credentiæ cornibus collocari, tum ut sit differentia inter hæc & Altaris candelabra; tum ut ad usum magis expedita sint Acolythis.

TITULUS III.

DE PRINCIPIO MISSÆ, ET CONFESSIONE FACIENDA.

I. S*Acerdos, cum primum descenderit sub* u. *infimum gradum Altaris, convertit se* x. *ad ipsum Altare, ubi stans in medio, junctis manibus ante pectus, extensis & junctis pariter digitis,* z. *& pollice dextro super sinistrum posito in modum Crucis (quod semper servatur, quando junguntur manus, præterquam post consecrationem* a. *) detecto capite* b. *facta prius Cruci vel Altari profunda reverentia, vel, si in eo sit Tabernaculum SS. Sacramenti, facta genuflexione erectus incipit Missam.*

V. Id est, ante infimum gradum.

X. A dextro latere incipiens.

Z. Contra quam Rubricam multi peccant, maxime dum pollicem a reliquis disjunctum tenent.

A. Ubi, licet priores duo digiti quoad superiores articulos separentur a reliquis, posteriores tamen tres conjuncti & extensi manere debent.

B. Non apparet satis ratio, cur Rubricæ hic moneant detecto capite faciendam Confessionem, cum ante jam habeat Celebrans detectum caput, quando ad infimum gradum descendit.

II. Stans igitur Celebrans ante infimum gradum c. *Altaris ut supra, producens manu dextra* d. *a fronte ad pectus signum Crucis dicit intelligibili voce*: In nomine Patris, & Filii, & Spiritu Sancti, Amen. *Et postquam id dixerit, non debet advertere quemcumque in alio Altari Celebrantem, etiamsi Sacramentum elevet, sed continuare prosequi Missam suam usque ad finem. Quod item observatur in Missa solemni* e. *& simul etiam a Ministris* f.

C. Seu in plano Capellæ, ut aliqui vocant.

D. Conjunctis & extensis digitis, ut numero sequenti dicetur.

E. Quod intelligendum videtur, si ipsum Missam prosequatur; non autem, si sub Hymno Angelico vel Symbolo sedeat; tunc enim, si in propinquo aliquo Altari signum ad elevationem daretur, decere videtur, ut caput saltem cum Ministris aperiat, sicut de facto ab aliquibus practicatur.

F. Gavantus *lit. F.* de Paratis dumtaxat Ministris, per quos Assistens, Diaconus, & Subdiaconus intelliguntur, interpretatur hunc textum; Verum praxis fere contrarium habet, ut scilicet etiam minores Ministri rationem non habeant aliorum Sacrorum, cum Rubrica indefinite loquatur.

III. Cum seipsum signat, semper sinistram ponit infra pectus g. *in aliis benedictionibus, cum est ad Altare* h. *& benedicit Oblata, aut aliquid aliud, ponit eam super Altare, nisi aliter notetur* i. *seipsum benedicens vertit ad se palmam manus dextræ, & omnibus illius digitis junctis & extensis, a fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dextrum, signum Crucis format. Si vero alios, vel rem aliquam benedicit, parvum digitum vertit ei, cui benedicit, ac benedicendo totam manum dextram extendit, omnibus illius digitis pariter junctis & extensis, quod in omni benedictione observatur.*

G. Ita, ut quemadmodum Gavantus p. 2. tit. 3. *lit. Q.* monet, sinistra manus sit extra terminos Crucis a dextra impressæ, sed tamen supra Cingulum eam ponat.

H. Intellige, quando faciem Altari obvertit; nam cum tergum ei obvertit, aliosque benedicit in fine Missæ, utique manum Altari imponere non potest, sed pectori applicare debet.

I. Uti notatur, quando seipsum Calice & Hostia mox sumen-

sumendis signat, tunc enim non pectori, sed Altari manum imponere jubetur.

IV. Postquam dixerit: In nómine Patris &c. *ut supra jungens iterum manus ante pectus pronuntiat clara voce Antiphonam:* Introibo ad Altare DEI *: Minister vero retro post eum* k. *ad sinistram genuflexus* (*& in Missa solemni Ministri hinc inde stantes prosequuntur:* Ad DEUM qui lætificat Juventutem meam, *Deinde Sacerdos eodem modo stans incipit, & prosequitur cum Ministro vel Ministris alternatim Psalmum* Judica me *usque ad finem cum* Gloria Patri. *Quo finito repetit Antiphonam* Introibo *cum Ministris, ut supra. Qui Psalmus numquam prætermittitur, nisi in Missis Defunctorum, & in Missis de Tempore* k. *a Dominica Passionis exclusive usque ad Sabbatum sanctum exclusive*, l. *in quibus semel tantum dicta Antiphona* Introibo *cum Ministris, ut supra, Sacerdos statim subjungit Versum* Adjutorium nostrum &c. *ut in fine, Cum in fine Psalmi dicit:* Gloria Patri &c. *caput Cruci inclinat.*

K. Quia, ut Gavantus p. 2. tit. 3. *lit. V.* notat, hic Psalmus lætitiam significat, quæ non convenit Missis Defunctorum & Tempore Passionis.

L. Unde si Missæ de Festis aut Votivæ, etiam de Passione Christi aut Cruce, hoc tempore legendæ sunt, non omittendus est hic Psalmus, ut notat Gavantus p. 2. tit. 3. *lit. V.*

V. Repetita Antiphona Introibo *dextra manu producens signum Crucis a fronte ad pectus dicit Versum:* Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℞. Qui fecit Cælum & terram. *Deinde Altari se profunde inclinans, junctis manibus dicit* Confiteor m. *ut in ordine Missæ, & prosequitur eodem modo stans inclinatus, donec a Ministro vel Ministris dictum sit* Misereatur. *Cum incipitur a Ministris* Confiteor, *se erigit. Cum dicit* mea culpa *ter pectus dextra manu* n. *percutit, sinistra infra pectus posita.* o.

M. Aliqui hic Patronos Diœcesis, vel Templi, vel Ordinis interserunt, quod tamen Pius V. fieri prohibuit, nisi consuetudo alicubi præscripserit.

N. Id est, digitis omnibus in unum acumen contractis, non autem pugno manus.

O. Quando dicit *Misereatur vestri*, illa verba dicit, etiam

si unicum tantum Ministrum habeat.

VI. Si est coram Pontifice, Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ, vel Partiarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in eorum Provincia, Civitate, vel Diœcesi constitutis, ubi dicit Vobis Fratres, *dicat* Tibi Pater p. *Similiter in fine, ubi dicit* Vos Fratres, *dicit* Te Pater, *quod dicens Summo Pontifici genuflectit aliis Prælatis profunde se inclinat.*

P. Aliqui dicunt Reverendissime Pater, sed quia Rubrica non meminit hujus Tituli, nec ipsum etiam Cæremoniale Episcoporum, rectius omitti videtur illud Epitheton.

VII. Cum Minister, & qui intersunt (etiamsi ibi fuerit summus Pontifex) respondent Confiteor, *dicunt* Tibi Pater, q. *&* Te Pater, *aliquantulum conversi ad Celebrantem* r.

Q. Si plures adessent Prælati tales æquales, *Gavantus* tit. 4. p. 2. n. 9. dicit, usum obtinuisse, ut dicatur *Vobis Fratres.*

R. Qualem tamen conversionem non facit Celebrans ad Ministrum, quando ipse dicit, *Et vobis Fratres*, nisi Ministri tales sint parati, id est Diaconus & Subdiaconus.

VIII. Facta a circumstantibus Confessione, Celebrans stans respondet Misereatur vestri &c. *Deinde producens manu dextra a fronte ad pectus signum Crucis dicit* Indulgentiam. (*Et si est Episcopus, accipit Manipulum, osculando illum in medio.*) *Et stans inclinatus* s. *junctis manibus prosequitur:* DEUS, Tu conversus, *& quæ sequuntur in ordine Missæ, clara voce usque ad Orationem* Aufer a nobis. *Et cum dicit* Oremus, *extendit, & jungit manus.* t.

S. Humerorum intellige inclinationem, quæ semper intelligitur, quando vox *Profunde* non additur.

T. Sat multi, cum dicunt *Oremus*, manus demittunt, iterumque in altum elevant, quod est expresse contra hanc Rubricam, ut quæ tantum extendit, iterumque jungi vult manus.

IX. Et tunc si coram Summo Pontifice aut aliis Prælatis, ut supra, celebret, facta Summo Pontifici genuflexione, u. *aliis Prælatis profunda inclinatione* x. *accedit ad medium Altaris ante infimum gradum, & ibi incipit secreto* Aufer a nobis, *ut in ordine Missæ.*

V. Ob summam dignitatem eidem ut Christi Vicario competentem.

X. Unde

X. Unde non bene faciunt, qui coram ejusmodi Prælatis modicam genuflexionem faciunt; licet forte ob consuetudinem tolerari possit.

TITULUS IV.

DE INTROITU, KYRIE ELEISON, ET GLORIA IN EXCELSIS.

I. DUm *dicit* Aufer a nobis *Celebrans*, *junctis manibus ascendit ad medium Altaris*, & *ibi inclinatus*, *manibusque item junctis super eo positis*, & *ita*, *ut digiti parvi dumtaxat frontem seu medium anterioris partis tabulæ*, *seu mensæ Altaris tangant*, *residuo manuum inter Altare & se retento*, *pollice dextro super sinistrum in modum Crucis posito* (*quæ omnia semper* Y. *observantur*, *cum manus junctæ super Altare ponuntur*) *secreto dicit* Oramus te Domine, & *cum dicit* Quorum Reliquiæ hic sunt, *osculatur Altare in medio* Z. *manibus extensis æqualiter hinc inde super eo positis*, *quod semper servatur*, *quando osculatur Altare*: *sed post Consecrationem pollices ab indicibus non disjunguntur. In omni etiam deosculatione sive Altaris*, *sive Libri*, *sive alterius rei*, *non producitur signum Crucis pollice*, *vel manu super id*, *quod osculandum est.*

Y Quæ particula *Semper* bene notanda est contra eos, qui post Consecrationem totas manus super Altare ponunt, ita ut parvi digiti supra ipsum Corporale ponantur, quod facere se ajunt, ne, si particula aliqua e digitis laberetur, in terram decideret. Sed hæc praxis, ut ex dicta particula colligitur, est manifeste huic Rubricæ contraria, cujus Auctores utique bene sciverunt, manus post Consecrationem supra Altare ponendas esse; ergo, si ibi voluissent, parvos digitos supra Corporale ponendos esse, non debuissent dicere in Parenthesi, *quod semper faciendum est*; *cum manus junctæ super Altare ponuntur*: bene ergo sciebant, hoc periculum timendum non esse, cum ideo pollices & indices conjuncti teneantur, ne particula decidat; alioqui sane etiam cavere debuissent, ne Celebrans post Consecrationem Cruce se signaret, ne forte, si particula tunc ex digitis con-

junctis decideret, in terram laberetur.

II. Osculato Altari accedit z. *ad cornu ejus sinistrum, id est, Epistolæ: ubi stans versus Altare, & producens a fronte ad pectus signum Crucis*, a. *incipit intelligibili voce Introitum Missæ* b. *& prosequitur junctis manibus. Cum dicit* Gloria Patri, *tenens junctas manus, caput* c. *inclinat versus Crucem. Cum repetit Introitum, non signat se, ut prius: & eo repetito, junctis manibus ante pectus, accedit ad medium Altaris, ubi stans* d. *versus illud similiter junctis manibus, dicit eadem voce* e. *ter Kyrie eleison, alternatim cum Ministris. Si Minister, vel, qui intersunt, non respondeat, ipse solus novies dicit.*

Z. Unde tunc, postquam se erexit, non opus est iterum Cruci se inclinare, cum prius inclinatus jam fuerit.

A. Quod, teste Gavant p. 2. tit. 4. *lit. H.* ideo nunc facit, quia hic proprie fit initium Missæ, atque adeo decet, ut per signum Crucis inchoetur. Sed cur non etiam in Missis Defunctorum seipsum Cruce signat Sacerdos? Respondet Gavantus tit. 13. *lit. P.* id tunc super librum fieri, quia hic quasi Defunctos repræsentat, quibus benedictionem potius quam sibi in tali Missa dare convenit.

B. Qualem infra exempli gratia ex Festo SS. Trinitatis, de qua frequenter Neomistæ primam suam Missam dicere vel cantare solent, cum tota illa Missa huic Instructioni inseram, ut Opus Missale ad exercendos sese in Ritibus addiscendis non habeant.

C. Non corpus, aut humeros ut multi non bene faciunt.

D. Ergo non debet illaudabilem aliquorum consuetudinem sequi, qui sub ipso accessu ad Altare jam illa Kyrie-eleison dicere incipiunt.

III. Dicto ultimo Kyrie eleison, Sacerdos stans in medio Altaris, & manus extendens, elevansque e. *usque ad humeros (quod in omni elevatione manuum observatur) voce prædicta* f. *incipit; si dicendum sit* Gloria in excelsis. *Cum dicit* DEO, *jungens manus caput Cruci inclinat; quo erecto stans junctis manibus ante pectus prosequitur usque ad finem. Cum dicit* Adoramus te, Gratias agimus tibi, *&* JESU g. Christe, suscipe deprecationem, *& iterum* JESU Christe, *caput Cruci inclinat. Cum dicit in fine* Cum Sancto Spiritu

sei-

seipsum fronte ad pectus signat, iterim absolvens In Gloria DEI Patris. Amen.

E. Non ergo in profundum deprimens, & postea iterum elevans, ut aliqui imperite faciunt.

F. Id est, alta & intelligibili.

G. Ad quod nomen paulo profundius, quam ad reliquorum Sanctorum, aut alia Nomina hic expressa caput inclinandum est.

IV. In Missa solemni Sacerdos facta Confessione ascendit cum Ministris h. *ad medium Altaris, ubi dicto* Oramus te Domine, *& osculato Altari, ponit incensum in thuribulum, Ministrante Diacono* i. *naviculam, & Thuriferario thuribulum. Diaconus parum inclinatus versus Celebrantem dicit:* Benedicite Pater Reverende, *& osculatur cochlear, & manum Celebrantis, ante & post. Celebrans ter incensum ponit in thuribulum* i. *dicens interim:* Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis, *& deposito cochleari producens manu dextra signum Crucis super thus in thuribulo illud benedicit.*

H. Ita, ut quemadmodum Gavantus hic *lit. Q.* monet, Diaconus sinistra manu, Subdiaconus dextra, vestem anteriorem Celebrantis paululum eleven; quod tamen a paucis observatur.

I. Ita autem imponit incensum, ut manum sinistram interea pectori admoveat, & ipsa etiam verba benedictionis in singulas impositiones thuris dispenset.

V. Postea Diaconus, dimissa navicula, accipit thuribulum, & dat Celebranti; osculata prius catenularum summitate, & manu illius dextra. Qui facta Cruci reverentia, incensat Altare ter ducens k. *thuribulum æquali distantia, prout distribuuntur candelabra* l. *a medio ejus usque ad cornu Epistolæ: ubi demissa manu thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem, bis* m. *ducto thuribulo; & conversus ad Altare, elevans manum incensat ejus planitiem, seu mensam in parte anteriori, ter ducens thuribulum* n. *usque ad medium, ubi facta Cruci reverentia, procedendo thurificat aliud latus Altaris triplici ductu usque ad cornu Evangelii, & pariter incensat inferiori & superiori parte ipsius cornu Evangelii duplici ductu, adbuc stans ibidem* o. *elevans thuribulum*

ter incensat superiorem tabulæ partem versus medium Altaris, ut fecit in cornu Epistolæ p. *deinde manu aliquantulum demissa incensat anteriorem ejus partem seu frontem ter ducens thuribulum, dum procedit a cornu Evangelii usque ad medium Altaris: & facta Cruci reverentia incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem usque ad cornu Epistolæ: ubi reddito thuribulo ipsi Diacono, ab eo ipse solus incensatur.*

K. Simplici ductu, non duplicato, ut nonnulli perperam faciunt.

L. Ubi bene notandum ex Gavanto. p. 2. tit. 4. *lit. C.* in hoc casu non ipsa candelabra, sed posteriorem partem Altaris, in qua sunt candelabra, incensari, unde si vel pauciora, quam sex adsunt, vel certe ultra cornu Evangelii & Epistolæ sunt collocata, uti interdum contingit, thurificatio non juxta situm candelabrorum fit, sed juxta eum situm, qui observaretur, quando candelabra tria in quovis cornu Altaris ordinato modo essent disposita.

M. Non quasi pars quævis ductu bino thurificanda, sed quod utraque pars collectivè accepta bino ductu incensanda sit.

N. Ita, ut per modum semicirculi peragatur ea incensatio, in cornu Epistolæ quidem a dextra parte inchoando semicirculum, in cornu Evangelii autem a sinistra parte eumdem incipiendo.

O. Ut non retrocedere debeat ad incensationem anterioris partis peragendam.

P. Ita tamen, ut a sinistra parte ductus incensationis inchoet.

VI. Si vero in Altari fuerint Reliquiæ, seu Imagines Sanctorum q. *incensata Cruce, facta ei reverentia, antequam discedat a medio Altaris, primum incensat eas, quæ a dextris sunt, id est, ex parte Evangelii* r *prope Crucem bis* f. *ducens thuribulum, & iterum facta Cruci reverentia, similiter incensat bis alias, quæ a sinistris sunt, hoc est, a parte Epistolæ: deinde prosequitur incensationem Altaris ut supra, ter ducens thuribulum in unoquoque latere, etiam si in eo plures essent Reliquiæ vel Imagines, seu etiam plura vel pauciora candelabra.*

Q. Id

Q. Id est, Statuæ Sanctorum, ait Gavantus. p. 2. tit. 4. *lit. F.* non pictæ imagines in pariete; sed quid si pictæ ejusmodi imagines sint ligneis receptaculis inclusæ, aut Cerei Sacri dumtaxat ligno affabre elaborato, aut argenteis vasculis sint ornati, numquid incensari debebunt? Negare videtur Gavantus, nisi per parietem intelligat alas ipsius Altaris magni; sed ego, salvo meliori judicio, judico omnino tales imagines supra Altare stantes esse incensandas; tum quia Rubrica hæc exprefse, & absque discrimine dicit, imagines esse incensandas; tum quia Imagines, cum sint loco sanctorum substitutæ, omnino etiam simili cultu cum reliquiis sunt dignæ.

S. Iterum intellige bino simplici ductu, unde si una tantum statua in altari staret, duplex iste ductus perinde faciendus esset, ac si duæ a essent.

VII. Si in Altari fuerit Tabernaculum sanctissimi Sacramenti, accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem, genuflectit; t. *quod item facit, quotiescumque transit,* u. *ante medium Altaris.*

T. Quo in casu, non amplius Cruci Caput inclinat, quia jam majorem reverentiam Cruci simul & Sacramento fecerat.

V. Non autem, quando recedit a medio, quia non omnino recedit ab Altari. Sufficit ergo, quod in eo casu profundam Cruci reverentiam faciat.

VIII. Diaconus & Subdiaconus hinc inde assistunt x. *Celebranti, dum incensat, &, cum transeunt ante Crucem, semper genuflectunt.* y. *Deinde Celebrans Diacono a dextris ejus, Subdiacono a dextris Diaconi stantibus in cornu Epistolæ legit Introitum*, z. *& Kyrie eleison. Cum vero intonat Hymnum* Gloria in Excelsis DEO, *Diaconus & Subdiaconus unus post alium* a. *stant a tergo Celebrantis: postea ascendunt* b. *ad Altare, & hinc inde, Diaconus a dextris, & Subdiaconus a sinistris, cum Celebrante Hymnum submissa voce prosequuntur usque ad finem* c. *Quod etiam servatur, cum dicitur* Credo, *& cum dicitur* Dominus vobiscum, Oratio, Præfatio, *&* Pater noster, *Diaconus & Subdiaconus similiter stans unus post alterum.*

X. Et eam partem Planetæ, quæ est circa brachia, pa-
rum

rum elevant, ne incensatione eum impediat; alteram vero manum interea pectori admovent.

Y. Etiamsi ipse Celebrans solummodo caput inclinet; quod, uti Gavantus. p. 2. tit. 4. *lit.* *N*. monet, semper faciunt, cum Cruci reverentiam faciunt.

Z. Ita tamen, ut Introitum solus legat, novem Kyrie eleison vero cum Ministris alternatim dicat.

A. Diaconus scilicet in proximo gradu post Celebrantem, & Subdiaconus in proximo post Diaconum, aut in ipso plano, si non adsint tot gradus.

B. Facta tamen prius genuflexione in suo loco, nulla autem amplius, quando venerunt ad Celebrantem.

C. Inclinantes se, & facientes signum Crucis, sicut Celebrantem facere conspexerint.

TITULUS V.

DE ORATIONE.

1. D*icto Hymno* Gloria in excelsis, *vel, si non dicendus sit, eo omisso, Celebrans osculatur Altare* d. *in medio, manibus hinc inde super eo ut supra, extensis, tum illis ante pectus junctis*, e. *& demissis ad terram oculis, vertit se a sinistro latere ad dextrum* f. *versus Populum, hoc est, per eam partem, quæ respicit cornu Epistolæ, & extendens ac jungens manus ante pectus, ut prius, dicit voce prædicta* Dominus vobiscum (*vel, si sit Episcopus,* Pax vobis, *quod dicitur tantum hoc loco, quando dictus est Hymnus* Gloria in excelsis) ℟. Et cum Spiritu tuo, *& junctis, ut prius, manibus, revertitur per eamdem viam ad librum, ubi eas extendens & jungens ante pectus, caputque* g. *Cruci inclinans dicit* Oremus; *tum extendit manus ita, ut palma unius manus respiciat alteram, & digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem, distantiamque non excedat* h. *quod in omni extensione manuum ante pectus servatur. Stans autem, ut supra, extensis manibus dicit Orationem. Cum dicit* Per Dominum nostrum, *jungit manus*, i. *easque junctas tenet usque ad finem. Si aliter concluditur Oratio*, Qui tecum, *vel* Qui vivis, *cum dicit*, in Unitate, *jungit manus.*

D. Et

D. Et non ad latus, ut multi faciunt; unde, ut commodius hanc Cæremoniam perficere possit, Calicem vel coopertum nonnihil remotius ab Altaris extrema ora statuere debet.

E. Et in altum elevatis, ut semper faciendum est, quando manus tali modo gerere debet.

F. Quia, sicut dextra manus honestior censetur, ita idem quoque de latere dextro censendum, atque adeo initium conversionis ex ea parte faciendum est.

G. Solum caput intellige, unde non bene faciunt multi, qui perinde ac alias, quando ante Crucem transeunt, vel ad eam accedunt, profundam reverentiam faciunt.

H. Unde colligitur, in altum elevatos digitos esse debere, & non in æquali cum palma altitudine constitutos, & quasi jacentes, ut multi faciunt. Sed & distantia manuum cum decore observanda est, ita ut neque nimis inter se distantes, neque tamen nimis etiam propinquæ sint invicem, sed medium observetur, quod quidem tunc facile præstabitur, si uterque cubitus bino lateri conjungatur.

I. Simul tamen caput inclinans modo, qui in sequente numero indicabitur.

II. Cum nominatur JESUS, caput versus Crucem inclinat, k. *quod etiam facit, cum nominatur in Epistola. Et similiter ubicumque nomen B. MARIÆ, vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit Commemoratio* l. *Item in Oratione pro Papa, quando nominatur* m. *semper caput inclinat, non tamen versus Crucem. Si plures Orationes sunt dicendæ, idem in eis, in voce,* n. *extensione manuum & capitis inclinatione, quod supra dictum est observatur.*

K. Quia, cum Crux sit imago Christi, recte ad nomen JESUS caput versus Crucem inclinatur, aliquando tamen profundius, quam ad alia nomina, ut aliqui volunt.

L. Per Commemorationem hoc loco specialis intelligitur, & non illa, quæ in suffragiis, vel reliquo Missæ contextu fieri solet.

M. Puta, quando proprio nomine suo, non autem, quando Papæ aut Pontificis nomine exprimitur.

N. Nempe ut altiori voce dicantur in privatis missis; in Solemnibus vero Officiis omnino canantur.

III. Si

III. Si Altare sit ad Orientem versus Populum, Celebrans versa facie ad populum non vertit humeros ad Altare, cum dicturus est Dominus vobiscum, Orate Fratres, Ite Missa est, *vel daturus benedictionem, sed osculato Altari in medio, ibi expansis & junctis manibus, ut supra, salutat Populum, & dat benedictionem.*

IV. In quatuor Temporibus, vel alias, quando dicendæ sunt plures Orationes cum Prophetiis, o. *dicto* Kyrie eleison *in medio Altaris, revertitur ad cornu Epistolæ, ubi stans ante librum extensis & junctis ante pectus manibus, & caput Cruci inclinans dicit* Oremus, Flectamus genua, *illico manibus super Altare extensis, ut seipsum ad Altare sustineat, genuflectit,* p. *& sine mora surgens, eadem voce respondente Ministro* Levate, *manibus extensis dicit Orationem, ut supra, & in conclusione eas jungit. Dum autem legit Prophetias, tenet manus super librum vel Altare positas, ut mox dicetur de Epistola.*

O. Uti fit in Sabbato Sancto præcipue.

P. Ita ut prius illa verba: *Flectamus genua* proferat, & non sub ipsa genuflexione, ut aliqui faciunt.

V. In Missa solemni, cum dicit Dominus vobiscum & Oratio *Diaconus & Subdiaconus stant retro post Celebrantem.* Flectamus genua *dicitur a Diacono, a Subdiacono vero* Levate, *illo primum genuflectente, hoc primum surgente, Celebrans vero non genuflectit.* q.

Q. Gavantus p. 2. tit. 2. *lit. H.* vult, ut etiam Ministri reliqui caput tantum cum Sacerdote inclinent; sed praxis fere contrarium habet, & merito; nec enim decens videtur, ut Diaconus & Subdiaconus velut primarii Ministri genuflectant, & non idem etiam minores Ministri faciant, maxime cum in his ratio, propter quam Gavantus p. 1. tit. 17. n. 3. Celebrantem regulariter stare ait (nimirum quia Personam Christi ante Patrem stantis & orantis repræsentat, uti ex Act. 17. cap. legitur) in his Ministris cessat.

TITULUS VI.

DE EPISTOLA, GRADUALI, ET ALIIS USQUE AD OFFERTORIUM.

I. D*ictis Orationibus, Celebrans positis super librum, vel super Altare manibus, ita ut palmæ librum tangant,*

gant, vel, ut placuerit, librum tenens r. *legit Epistolam* s. *intelligibili voce & respondetur a Ministro* DEO gratias t. *& similiter eodem modo stans prosequitur Graduale*, u. *Alleluja*, x. *& Tractum*, y. *ac Sequentiam*, z. *si dicenda sint*, *Quibus dictis Celebrans, si privatim Celebret, ipsemet, seu Minister portat librum Missalis ad alteram partem Altaris in cornu Evangelii*, a. *& dum transit ante medium Altaris, caput Cruci inclinat*, b. *& Missale sic locat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris, & non ad parietem, sive ad partem ejus contra se directam.* c.

R. Modo caveat, ne manibus interiora Missalis folia multum contrectet; sic enim ob manuum interdum sudantium, vel alio modo sordidatarum fœces facile & ipse liber sordibus afficeretur.

S. Epistola vocatur, non quod vere semper ex Epistolis SS. Apostolorum sumatur, (nam etiam ex aliis libris veteris & novi Testamenti sumitur) sed quod hoc ipso, quod sit ex una parte Verbum DEI, & ex altera parte ad instructionem & exhortationem eorum, qui Missam legunt, vel audiunt, ordinetur, velut Epistola de cælo a DEO Missa agnoscatur. Circa quam ulterius notandum est, non omnia verba ex S. Scriptura esse desumpta, sed initium, semper & interdum etiam finem ab Ecclesia dumtaxat additum esse, ut convenientius inchoetur, aut claudatur Epistola. Hinc Epistolæ desumptæ ex S. Pauli Epistolis semper vox *Fratres*, & finis frequenter *in Christo JESU Domino nostro.* Si vero ex aliorum Apostolorum Epistolis sumatur, vox *Charissimi:* si autem ex Prophetis accipiatur, verba *In illo tempore* ab initio, & in fine non raro verba *dicit Dominus Omnipotens* præponuntur, vel subjunguntur. Sed & illud bene notandum circa Epistolas, quod, licet eæ desumptæ sint ex libro Proverbiorum, Canticis, aut Ecclesiastico; nihilominus dicatur: *Lectio de Libro Sapientiæ*: eo quod hi omnes Libri ex SS. Patrum antiquo usu *Sapientiales* dicantur.

T. Quod tamen *DEO gratias* omittitur in primis in fine quintæ Lectionis Danielis in Sabbatis Quatuor Temporum ne textus & sensus interrumpatur; & in fine Lectionum Feriæ sextæ in Parasceve, & Sabbato sancto quia illi sunt dies luctus, atque adeo sicut a *Gloria Patri* & similibus modis fe-

sti-

ftivioribus abftinetur, ita & hæc verba *DEO gratias* omitti conveniat.

V. Graduale nihil aliud eft, quam certi quidam Verfus ad DEUM & Sanctos vel laudandos, vel invocandos ordinati. Vocantur autem *Graduale*, quia juxta vel in ipfis gradibus Altaris olim cantabantur.

X. Per *Alleluja* hoc loco intelliguntur Verfus quidam, qui Tempore Pafchali, id eft, a Dominica in Albis ufque ad Sabbatum Pentecoftes loco Gradualis dicuntur, & a duplici Alleluja inchoantur.

Y. Tractus nomine intelliguntur Verfus quidam ad luctum fignificandum vel excitandum certis quibufdam diebus dici foliti; hinc quia tardius canuntur, & quafi trahuntur verba illius, Tractus a trahendo dicti funt.

Z. Sequentia hoc loco fignificat Hymnum quemdam, qui certis diebus Graduali fubjungitur, & propterea forte, quia fequitur Graduale, *Sequentia* vocatur, ut notat Gavantus p. 1. tit. 5. *lit. Z.*

A. Cornu Evangelii idem fignificat, ac pars illa Altaris, in qua Evangelium canitur, quæ ab antiquis Cornu vocabatur, quia eft extrema pars, ficut olim extremæ partes Exercitus Cornua vocabantur.

B. Ita tamen, ut non omittat profundam reverentiam, quæ femper Cruci facienda eft.

C. Clarius dici poteft, ita locandum librum, ut Celebrantem oblique ftantem refpiciat, eique ad legendum Evangelium fit idoneus.

II. Locato Miffali in Altari Celebrans redit ad medium Altaris, ibique ftans junctis manibus ante pectus. e. elevatifque ad DEUM oculis, & ftatim demiffis, tum profunde inclinatus dicit fecreto Munda cor meum & Jube Domine *f.* benedicere, Dominus fit in corde meo, *ut in Ordinatio Quibus dictis vadit ad librum Miffalis, ubi ftans verfus illum g. junctis manibus ante pectus dicit intelligibili voce* Dominus vobifcum ℟. Et cum Spiritu tuo. *Deinde pollice h. dextræ manus figno Crucis fignat primo librum fuper principio Evangelii, quod eft lecturus, i. poftea feipfum in fronte, ore, & pectore dicens* Sequentia *vel* Initium S. Evangeli &c. ℟. Gloria tibi Domine. *Tum junctis iterum manibus ante pectus, ftans ut fupra profequitur Evangelium*

gelium usque ad finem. Quo finito Minister stans in cornu Epistolæ post infimum gradum Altaris respondet Laus tibi Christe, *& Sacerdos elevans parumper librum, osculatur principium Evangelii dicens:* Per Evangelica dicta &c. *præterquam in Missis Defunctorum, & nisi celebret coram Summo Pontifice, Cardinali, & Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in eorum Residentiis*, k. *quo casu defertur cuilibet* l. *prædictorum osculandus liber, Celebrans tunc non osculatur illum, nec dicit* Per Evangelica dicta &c. m. *Cum autem nominatur JESUS, caput versus librum inclinat, & eodem modo versus librum genuflectit, cum in Evangelio est genuflectendum.*

D. Ubi tamen, cum statim profunde se inclinaturus sit, non opus est, aliam profundam rdverentiam Cruci facere.

E. Non in Altari positis, uti multi contra Rubricas faciunt.

F. Cum a DEO, non ab Homine benedictionem petat.

G. Unde non statum ad *Dominus vobiscum* inchoanda est Crucis formatio supra librum juxta morem nonnullorum omnia in Missa præpropere agentium.

H. Solo pollice intellige, non Indici juncto, & reliqua manu in longum extensa.

I. Dum signat librum Evangelii, sinistram manum libro apponere potest, ut vult Gavantus p. 4. tit. 6. *lit.* N. & alii.

K. Non autem Vicario Apostolico, neque Commendatario seu Procuratori Apostolico, uti S. Congregatio Rituum 17. Sep. 1611. decrevit; neque aliis in hac Rubrica non nominatis sine facultate Sedis Apostolicæ. Principibus autem magnis (non autem inferioribus Laicis) quando liber interdum defertur, id ex tolerantia potius, quam Rubricarum præscripto contigit, uti Gavantus l. c. *lit* R. ait, ubi etiam addit, in tali casu Celebrantem debere proprium suum librum osculari, atque adeo alium librum ad Principem pro osculo deferendum esse.

L. Cuilibet solitarie accepto intellige; si enim plures æquales fuerint, nulli ex illis, nec ipsi Celebranti osculandus liber offerri deberet; si vero plures inæquales adfuerint Missæ, soli digniori deferendus foret, juxta Gavantum l. c.

M. Quia hæc verba sunt osculantis propria, atque adeo ab illo

ab illo solo, qui librum osculatur, proferenda sunt.

III. Dicto E angelio, stans in medio Altaris versus Crucem, n. elevans & extendens manus incipit (si dicendum sit) Credo *o. Cum dicit* in unum DEUM *jungit manus, p. & caput Cruci inclinat, q. quo erecto stans ibidem junctis ante pectus manibus, ut prius, prosequitur usque ad finem Cum dicit* JESUM Christum, *caput Cruci inclinat. Cum dicit* Et incarnatus est, *usque ad* Et Homo factus est *inclusive genuflectit. Cum dicit* Simul adoratur, *caput Cruci inclinat Cum dicit* Et vitam venturi sæculi Amen. *producit sibi manu dextra Crucis signum a fronte ad pectus r.*

N. Faciens tamen prius Cruci profundam reverentiam ob accessum ad medium.

O. Quod Symbolum alioqui vocatur a Rubricis; eo quod contineat omnes Fidei nostræ, aut potiores certe Articulos. Est autem hoc Symbolum non illud, quod Apostoli fecerunt, quodque initio Ecclesiæ in Missa cantabatur: neque Nicenum, quod deinde juxta aliquos S. Marcus Successor S. Silvestri recitari jusserat; sed Constantinopolitanum, cui tamen hæc verba *Filioque procedit* jussu Concilli Toletani addita sunt, teste Gavanto p. 1. tit. 11. *lit. H.*

P. Non autem elevat, ut non pauci sine necessitate faciunt.

Q. Nisi forte hæc verba pronunciet dum Cruci alioqui profundam reverentiam facit.

R. Crucis signum hic formatur, ut quasi sigillo Crucis Fidei totius Confessio firmetur, ut ait Gavantus p.2. tit. 6. *lit. T.* ubi etiam addit ad verbum *Amen.* manus iterum jungendas esse, sed cum Rubricæ id non præcipiant, potest sine scrupulo omitti.

IV. In Missa solemni Subdiaconus circa finem ultimæ Orationis accipit ambabus manibus librum Epistolarum t. deferens illum supra pectus r. & facta Altari genuflexione in medio, vadit ad partem Epistolæ u. contra Altare; & cantat Epistolam, quam etiam Celebrans interim submissa voce legit, assistente sibi Diacono a dextris, & item Graduale, Tractum &c usque ad Munda cor meum. *Epistola cantata Subdiaconus facta iterum genuflexione Altari in medio, redit ad celebrantem x. & genuflectens y. osculatur ejus manum, & ab eo benedicitur z. præterquam in Missis Defunctorum.*

S. Quem

S. Quem a Cæremoniario, vel alio quopiam Ministro juxta cujusque Loci consuetudinem accipit.

T. Comitatus a Cæremoniario ad sinistrum latus eunte, uti Cæremoniale Episcoporum l. 1. c. 10. præscribit, aut certe a Substituto illius, ubi alicubi consuetudo habet.

V. Ad cornu Altari in Presbyterii plano, ut ait Gavantus p. 2. tit. 6. lit. X. nisi alicubi mox habeat, ut extra Presbyterii cancellos egrediatur, ibique Epistolam cantet.

Y. In gradu interiore juxta Celebrantem, ut commode illi manum ad osculum porrigere possit, unde Celebrans interea ibi absoluta Epistola & Graduali exspectare debet.

Z. Post osculum manui porrectum, nihil dicendo.

Postea idem Subdiaconus accipit Missale Celebrantis, defert ad cornu Evangelii in Altare, a. *& ibi ministrat* b. *Celebranti, qui in medio Altaris submissa voce dicto* Munda cor meum, *& deinde lecto Evangelio, quod in fine non osculatur, delato etiam per Diaconum libro Evangeliorum* c. *ad Altare, imponit incensum in thuribulum* d. *Postea Diaconus genuflectens ante Altare* e. *dicit* Munda cor meum, *& accipiens librum Evangeliorum de Altari* f. *petit benedictionem a Celebrante similiter genuflexus in superiori gradu Altaris; & osculata illius manu* g. *præcedentibus Thuriferario, & duobus Acolythis cum Candelabris accensis de Credentia sumptis, vadit cum Subdiacono a sinistris ad locum Evangelii contra Altare* h. *versus Populum, ubi Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acolythos tenentes Candelabra accensa dicit* Dominus vobiscum *junctis manibus. Cum dicit* Sequentia, *signat librum in principio Evangelii* i. *frontem, os, & pectus* k. *postea ter librum incensat, hoc est, in medio, a dextris, & a sinistris, & prosequitur Evangelium junctis manibus* m. *Interim Celebrans post datam Diacono benedictionem* n. *retrahens se ad cornu Epistolæ, ibi stat junctis manibus, &, cum Diaconus dicit* Sequentia Sancti Evangelii, *Sacerdos etiam signat se* n. *& cum nominatur JESUS, caput inclinat versus Altare* o. *Finito Evangelio Sacerdos osculatur librum a Subdiacono* p. *sibi delatum dicens* Per Evangelica dicta q. *& a Diacono* r. *incensatur. Si sit coram Prælato in sua Residentia, liber defertur ad Prælatum, ut supra*, s. *& ille incensatur., ut in Cæremoniali.* t. *Postea stans in medio Altaris* u. *versus ad Crucem incipit, si dicendum sit*, Credo, *stantibus post eum Dia-*

P *cono,*

cono, & Subdiacono, deinde x. ad Altare accedentibus, & eum prosequentibus, y. ut dictum est ad Gloria in excelsis.

A. Faciens tamen in medio, dum transit, debitam Cruci vel Sacramento reverentiam.

B. Stando nempe ad latus illius sinistrum in inferiori gradu, & folia, si opus est, vertendo.

C. In quo casu nemo comitatur Diaconum, quia Comes, ut Gavantus p. 2. tit. 6. *lit. C.* advertit, datur Ministris ad aliquid cantandum, aut quando exeundum est e Prosbyterio, quorum neutrum hic contingit.

D. Eo prorsus modo, quo in principio Missæ imposuit, iterum scilicet illa verba *Ab illo benedicaris* sub terna impositione dispensans, ac recitas.

E. In superiori scilicet gradu ante Altare, & paululum ad dextrum latus ipsius Celebrantis.

F. Nempe versus Celebrantem genuflexus, & *Jube Domne benedicere* dicens, librumque in aere versus Celebrantem parum inclinatum tenens.

G. Quam Celebrans supra ipsum librum Evangelii positam eidem osculandam porrigit.

H. Dum Rubrica hoc loco dicit, Diaconum contra Altare stare debere, aliud non vult dicere, teste Gavanto l. c. *lit L.* quam quod medium locum inter Altare & Populum ad Aquilonem conversus occupare debeat, id est facie, neque tota ad Populum, neque ad Altare versa. Vadit autem librum ante pectus portans, & oculus modeste demittens.

I. Dum librum signat, manum eidem libro apponit.

K. Manum interea pectori apponens, sicut alias, quando signo Crucis seipsum signat.

L. Per dextram hoc loco intelligitur non dextra ipsius Celebrantis, sed libri, quem incensat.

M. In tono consueto, non omittens tamen inclinationes debitas ad verba JESUS, MARIÆ, aut Sanctorum illius diei, aut quando alias ratione Mysterii præcipitur inclinatio, quas tamen inclinationes non versus Altare ut Celebrans, sed versus librum facit Subdiaconus interea, & Acolythis nihil se monventibus.

N. Minori scilicet Cruce, ut ipse Diaconus facit.

O. Non ergo totum Corpus, ut multi faciunt.

P. Qui

P. Qui non ante Osculum, sed post illud, ubi librum clauserit, se Celebranti inclinat.

Q. Dum librum osculatur Celebrans, & hæc verba dicit, manu utraque librum apprehendit.

R. Ter videlicet, facta, ut alias ante & post incensationem, reverentia.

S. A Subdiacono scilicet, & cum osculo ab ipso Prælato figendo, qui & verba illa *Per Evangelica dicta* pronunciat.

T. Si quidem Episcopus in sua Residentia sit Præsens & Pluviali indutus; si enim in Cappa Missæ intersit; nec ipsi Episcopo, quia non est Pluviali indutus, nec ipsi Celebranti ob præsentiam Episcopi incensatio facienda est, teste Gavanto. p. 2. tit. 6. *lit. I.* ubi etiam addit ex Cæremoniali Episcoporum, quod Legatus vel Cardinalis in suo habitu post osculum Evangelii thurificetur etiam coram Episcopo loci ob dignitatem Cardinalitiam.

V. Celebrans scilicet, postquam librum osculatus, & a Diacono incensatus est.

X. Id est, ubi Celebrans verba illa *Credo in DEUM* cecinerit, quæ tamen ipsi non necessario dicere privatim debent, sed statim cum Celebrante pergere possunt.

VI. Si autem prædicandum sit, Concionator finito Evangelio z. *prædicet, & sermone, sive concione expleta dicitur* Credo, *vel si non sit dicendum, cantetur Offertorium.*

Z. Aut Symbolo, si alicubi consuetudo introducta sit.

VI. Cum vero in Symbolo cantatum fuerit, Et incarnatus est, *Diaconus accepta Bursa de Credentia, ambabus manibus refert eam elevatam cum solitis reverentiis* a. *ad medium Altaris, in quo explicat Corporale, & revertitur ad Celebrantem* b. *Cum non dicitur* Credo, *Subdiaconus defert bursam simul cum Calice.*

A. Scilicet cum profunda reverentia ipsi Celebranti, dum transit ante ipsum facta, uti & Altari, si Ven. Sacramentum ibi non lateat.

B. Per breviorem viam descendens in cornu Epistolæ.

VIII. Si quandoque Celebrans cantat Missam sine Diacono & Subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector superpellicео indutus c. *qui in fine non osculatur manum celebrantis*, d. *Evangelium autem cantat ipse Celebrans ad cornu E-*

vangelii, qui in fine Missæ cantat Ite Missa est, *vel* Benedicamus Domino, *aut* Requiescant in pace: *pro temporis diversitate*.

C. Quem etsi conveniat ordine Lectoratus initiatum esse, si tamen is haberi non queat, non videtur alius excludendus, modo recte & decenter eo Officio fungi queat.

D. Atque adeo nec librum ad Celebrantem portat, aut benedictionem ab eo accipit, sicut alias Subdiaconus facit.

TITULUS VII.

DE OFFERTORIO, ET ALIIS USQUE AD CANONEM.

I. *Dicto Symbolo, vel, si hoc non sit dicendum post Evangelium, e. Celebrans osculatur Altare in medio, & junctis manibus ante pectus, ibidem a manu sinistra ad dextram (ut dictum est supra) vertit se ad Populum, extendens ac jungens manus, dicit* Dominus vobiscum, *junctis manibus revertitur per eamdem viam ad medium Altaris, ubi extendens ac jungens manus, caputque Cruci inclinans dicit* Oremus, *tum junctis, ut prius, manibus dicit Offertorium* f. *& omnia, quæ usque ad finem Missæ in medio Altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans versus Altare, nisi ubi aliter ordinatur.*

E. Nisi Concio & Exhortatio habenda sit.

F. Sic dictum, quia tunc Hostia & Calix DEO offeruntur, & suo tempore ab ipso etiam Populo oblationes fiunt.

II. *Dicto Offertorio, discooperit Calicem,* g. *& ad cornu Epistolæ sistit, & manu dextra amovet parvam pallam* h. *desuper Hostiam,* i. *accipit Patenam* k. *cum Hostia, & ambabus manibus usque ad pectus eam elevatam tenens, oculis ad DEUM elevatis, & statim demissis dicit* Suscipe Sancte Pater, &c.

G. Velum scilicet, quo Calix velabatur, removendo; licet autem hoc velum Gavantus p. 2. tit. 7. *lit. S.* ab ipso Ministro removendum esse censeat, & prope Tabellam Secretarum ponendam, contraria tamen praxis, qua ab ipso Sacerdote amovetur, communior & conformior est Rubricis, saltem loquendo de privatis Missis. Illud potius controversum est, ubi ponendum sit velum, cum Rubricæ nihil de hoc dicant,

dicant, unde variæ praxes sunt exortæ; nam aliqui super Corporale ante Calicem ponunt; alii non plicatum super Tabernaculo Sacramenti suspendunt; alii plicant, & juxta Corporale collocant, ut Pallam desuper deinceps ponere, & commodius apprehendere queant, quorum praxis, uti communior, ita fere etiam decentior videtur, nam supra Corporale nihil, nisi quod Corpus & Sanguinem immediate contingit, collocari deberet; in Tabernaculo autem, cum hoc non semper sit ita propinquum aut præparatum, ut ex eo suspendi commode queat, collocari saltem semper non potest.

H. Palla juxta Gavantum p. 2. tit. 1. *lit. M.* a palliando dicta est, quia scilicet Calicem tegit, nam cum antiquitus solum Corporale Calicem cooperuerit, postea ob commodiorem usum Palla usurpari cœpit; quæ tamen, ut ostendatur, eumdem cum Corporali finem habere, eique in officio seu functione succedere, ex eadem materia, ex qua Corporale factum est, conficitur.

I. Hostiæ nomine hoc loco panis consecrandus, vel consecratus intelligitur; licet enim etiam Vinum DEO offeratur, ideoque pariter Hostia vocari queat; quia tamen Vinum in Calice continetur, Calicis etiam nomine indicari potest, atque adeo ad distinctionem Panis & Vini consecrati, Hostiæ nomen soli Pani consecrando vel consecrato relictum est.

K. Patenam a patendo dictam putat Gavantus p. 2. tit. 1. *lit. G.* vel quia patula est, aut dispansis, patentibusque oris est prædita, unde olim magna admodum fuerat, utpote quæ omnes Hostias ad communicandum Populum consecratas continebat. Nunc tamen minor est, quia ad solam plerumque Celebrantis Hostiam continendam est ordinata.

III. Si fuerint aliæ Hostiæ non super Patenam, sed super Corporale, vel in alio Calice vel vase l. pro Communione Populi consecrandæ, Calicem illum seu vas dextra discooperit, m & intentionem suam etiam ad illas offerendas & consecrandas dirigens dicit ut supra Suscipe Sancte Pater, *ut in ordine Missæ. Quo dicto n. Patenam utraque manu tenens cum ea facit signum Crucis super Corporale, & deponit Hostiam circa medium anterioris partis Corporalis ante se, & patenam ad manum dextram aliquantulum o. subtus Corporale, quam exterso Calice, ut dicetur, co-*

operit purificatorio p. *Si autem adsit vas seu Calix cum aliis Hostiis, ipsum cooperit alia Patena vel Palla.*

L. Quod *Cibæum* vulgo nunc vocatur, eo quod Cibum cœlestem Populo distribuendum contineat.

M. Unde non est necessarium, ut Celebrans illud vasculum elevet, sed sufficit, si ad Hostias in eo contentas intentio quoque dirigatur.

N. Non imitandi proinde sunt illi, qui, antequam Orationem illam integre absolverint, Hostiam in Corporali ponunt, cum Rubricæ dicant exprese, dicta seu finita Oratione *Suscipe*, Hostiam deponendam esse.

O. Non ergo integra Patena sub Corporali abscondenda est, ut nonnulli faciunt, sed secundum minorem sui, vel mediam dumtaxat partem, ut commode Purificatorio cooperiri possit.

P. Purificatorii nomine hoc loco intelligitur linteum illud, quo Calix immediate tegitur, & quod ad Purificandum Calicem, digitosque Celebrantis extergendos est ordinatum.

IV. Deinde in cornu Epistolæ accipit Calicem, q. *Purificatorio extergit, & sinistra tenens illius nodum, accipit ampullam vini de manu Ministri, (qui osculatur ipsam ampullam, non autem manum Celebrantis* r. *) & ponit vinum in Calicem. Deinde eodem modo tenens Calicem, producit signum Crucis* s. *super ampullam aquæ, & dicit,* DEUS, qui humanæ substantiæ, *& infundens parum aquæ* t. *in Calice prosequitur,* Da nobis per hujus aquæ & vini Mysterium. *Si vero celebrat pro Defunctis, non facit signum Crucis* u. *super aquam, sed imponit absque benedictione, dicens Orationem, ut supra.*

Q. Faciens tamen ante, quam discedat a medio, debitam Cruci reverentiam.

R. Gavantus p. 2. *tit.* 7. *lit. C.* addit, etiam reverentiam Celebranti a Ministro, saltem Capitis inclinatione faciendam esse, nisi dignitas illius omnino modicam genuflexionem exigat.

S. Ita, ut parvum digitum ampullæ obvertat, quæ Regula generaliter observari debet in crucibus quibus res alias a se distinctas signat.

T. Ex traditione Christi, ad significandam aquam ex latere suo fluentem, populique, qui in Apocalypsi per aquam signi-

significatur, cum Christo unionem; aut, ut alii volunt, ad duplicem Christi Naturam, divinam scilicet & humanam indicandam.

V. Quia, cum Populus Purgatorii jam sit in gratia, non indiget ulteriori benedictione, atque adeo nec aquam, quæ populum illum significat, benedici convenit.

V. Imposita aqua in Calice, & finita Oratione prædicta, accipit manu dextra Calicem discoopertum, & stans ante medium Altaris x. ipsum ambabus manibus elevatum tenens y. videlicet cum sinistra pedem, cum dextra autem nodum infra Cuppam, intentis ad DEUM oculis z. offert dicens: Offerimus tibi, Domine. *Qua Oratione dicta facit signum Crucis cum Calice super Corporale* a. *& ipsum in medio post Hostiam collocat, & Palla cooperit. Deinde junctis manibus super Altare positis, aliquantulum inclinatus* b. *dicit secreto* In spiritu humilitatis. *Postea erectus, elevans oculos, manusque expandens, & statim jungens ante pectus (quod semper facit, quando est aliquid benedicturus* c. *) dicit* Veni Sanctificator. *Cum dicit* Et benedic, *signat manu dextra communiter super Hostiam & Calicem, sinistra super Altare posita.*

X. Ad quod accedens facit Cruci profundam reverentiam.

Y. Ita, ut Cappa Calicis non excedat oculos, neque sit infra os, ad differentiam Calicis elevati, ut Gavantus p. 2. tit. 7. *lit. H.* monet.

Z. Id est, ad Crucem elevatis, donec Orationem absolverit, & Calicem in Altari deponat.

A. Non ergo manum sinistram removere debet a Calice, dum Crucis signum format, cum Rubrica nihil de hac remotione insinuet.

B. Nempe per humerorum inclinationem, quæ ordinarie per vocem *Inclinatus* intelligitur, nisi particula restringens addatur.

C. Intellige, quando prius junctas, aut aliqua re tenenda occupatas manus non habet, uti fit, quando in Missis Defunctorum ad introitum, Crucis signum super librum facit, & quando in communibus Missis aquam benedicit.

VI. Tunc junctis ante pectus manibus, accedit ad cornu Epistolæ, d. *ubi stans Ministro aquam fundente* e. *lavat manus, id est, extremitates digitorum pollicis & indicis, Psalmum*

dicens Lavabo inter Innocentes f. *cum* Gloria Patri, *qui Versus* Gloria Patri *prætermittitur in Missis Defunctorum, & in Missis de Tempore* g. *a Dominica de Passione usque ad Sabatum sanctum inclusive.*

D. Prius tamen de more Cruci reverentiam faciens.

E. Elevato prius, ut monet Gavantus p. 2. tit. 7. *lit. R.* nonnihil manutergio, aut certe alio modo sic disposito, ut facile a Celebrante apprehendi queat. Sed & ampullam osculari, & in ejus porrectione, ut superius dictum, Celebranti reverentiam capitis saltem inclinatione exhibere decet.

F. Quem Psalmum dum dicit sub extersione manuum, facie ad Altare se convertat, ut ad versum *Gloria Patri* caput Cruci inclinare queat.

G. Id est, quæ de Dominica aut Feria dicuntur; unde in Missis de Sanctis, aut Votivis omnino ille Versus dicendus est.

VII. Celebrans lotis manibus eas tergit, & illis ante pectus junctis revertitur ad medium Altaris h. *ubi stans, oculosque ad Deum elevans, & statim demittens, manibus junctis super Altare, aliquantulum inclinatus* i. *dicit secreto Orationem* Suscipe Sacrosancta Trinitas, k. *Qua dicta, manibus hinc inde extensis, & super Altare positis, osculatur illud in medio: tum junctis manibus ante pectus, demissisque oculis ad terram, a sinistra manu* l. *ad dextram vertit se ad Populum, & versus eum extendens, & jungens manus dicit voce aliquantulum elata* m. Orate Fratres, *& secreto prosequens*, ut meum ac vestrum Sacrificium, *perficit circulum* n. *revertens junctis manibus ante pectus a dextra manu ad medium Altaris* o. *Et responso a Ministro vel circumstantibus* p. Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis (*alioquin per seipsum dicens* Sacrificium de manibus meis) q. *ipse Celebrans submissa voce dicit* Amen; *& manibus ante pectus extensis, ut fit ad Orationem* r. *stans in medio Altaris versus librum* s. *dicit absolute sine* Oremus, *& sine alia interpositione Orationem, vel Orationes secretas* t. *Cum dicit* Per Dominum *jungit manus*: *Cum dicit* JESUM Christum, *caput inclinat*, u. *quod facit in prima, & ultima Oratione* x *si plures sint.*

H. Ubi iterum Cruci reverentiam facit, nisi eadem opera dictam reverentiam, & inclinationem præscriptam facere velit.

I. Humerorum scilicet inclinatione.

k. Ubi tamen, cum SS. nomina JESU & MARIÆ, aut Sanctorum, quorum Festum aut Commemoratio eo die agitur, proferuntur, non facit novam inclinationem capitis, cum prius illud jam inclinatum habeat.

L. Id est a cornu Epistolæ incipiendo motum, & in medio Altaris finiendo.

M. Id est, a media inter altam & submissam.

N. Nisi Venerabile Sacramentum sit expositum; tunc enim non perficit circulum, sed per eamdem viam ad medium revertitur.

O. Ubi tamen non facit Cruci reverentiam, cum non discesserit vere a medio, sed solum se converterit.

P. Etsi enim ordinarie a Ministro dicatur, non tamen hoc ita necessarium est, ut non ab aliis etiam dici possit, sicut in cantatis Officiis ad pleraque alia non Minister, sed Cantores respondent.

Q. Sed tunc prius prosequi, & absolvere debet suam propriam Orationem *Ut meum ac vestrum Sacrificium &c.* & tunc primum inchoare Orationem *Suscipiat.*

R. Id est, Collectam quæ ad distinctionem ab aliis partibus, & per Antonomasiam quodammodo Oratio vocatur.

S. Ut scilicet commodius legere possit secretas Orationes; quod si facere possit sine omni, vel certe non nisi modica capitis conversione, sine scrupulo omittere poterit istam conversionem corporis ad librum.

T. Vocantur hæ Orationes *Secretæ*, vel sine addito *Secreta* non alia de causa, quam quia secreto, id est, non alta voce, ut aliæ Orationes dicuntur.

V. Versus Crucem, non versus librum.

X. Cum hoc tamen discrimine, ut in prima Oratione clausulam integram secreto absolvat, in postrema vero tantum usque ad illa verba *per omnia sæcula sæculorum* prosequatur secretam recitationem.

VIII. Pervento autem y. in conclusione ultimæ Secretæ ad verba illa Per omnia sæcula sæculorum *exclusive, Sacerdos stans in medio Altaris, depositis super eo manibus hinc inde extensis, dicit convenienti & intelligibili voce z. Præfationem.* a. *Cum*

dicit

dicit Sursum corda, *elevat manus hinc inde extensas usque ad pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram. Cum dicit* Gratias agamus Domino, *jungit manus. Cum dicit* DEO nostro, *oculs elevat, & statim Cruci caput inclinat. Responso* Dignum & justum est, *elevatis & extensis, ut prius, manibus prosequitur Præfationem propriam vel communem, ut tempus requirit. Cum dicit* Sanctus *junctis ante pectus manibus*, b. *& inclinatus* c. *voce mediocri prosequitur, Ministro interim parvam Campanam pulsante* d. *Cum dicit* Benedictus, qui venit in nomine Domini, *eregit se, & signum Crucis sibi producit a fronte ad pectus.*

Y. Id est, postquam pervenit.

Z. Alta videlicet, vel modulata, si cantetur Officium, ut Populus, vel minister, aut Cantores loco illius respondere possint *Amen*, & sic confirmare hac voce illa, quæ Celebrans a DEO per secretas Orationes petivit.

A. Præfatio idem significat hoc loco juxta Alcuinum apud Gavantum p. 1. tit. 12. *lit. Z.* ac Prolocutio ante Canonem, qua Populus excitetur ad majorem attentionem, eo quod tunc incipiendus sit Canon sacer, ipsumque Sacrificium paulo post offerendum.

B. Et non super Altare positis, ut non pauci faciunt contra clarum hunc textum.

C. Humerorum videlicet inclinatione.

D. Quam ter pulsari vult Gavantus p. 2. tit. 7. *lit. E.* cum aliqua distinctione ad laudem DEI ter Sancti; & ad excitandos audientium animos ad proxima mysteria; sed, quia Rubrica hujus distinctionis mentionem non facit, reprehendi non possunt Ministri, qui uno continuo pulsu campanulam pulsant.

IX. *In Missa solemni, dicto* Oremus, *Diaconus & Subdiaconus accedunt ad Altare* e. *in cornu Epistolæ, Diaconus amovet Calicem, si est in Altari, vel, si est in Credentia, ut magis decet, accipit eum de manu Subdiaconi, qui illum cum Patena & Hostia coopertum Palla, & velo* f. *a collo sibi pendente, manu sinistra* g. *tenens, & alteram manum superponens velo, ne aliquid decidat, de Credentia detulit, comitatus ab Acolytho ampullas vini & aquæ portante, ipse Diaconus Calicem detegit, & dat* h. *Patenam cum Hostia Celebranti, osculando ejus manum*

manum i. *Subdiaconus extergit Calicem Purificatorio, Diaconus accepta ampulla* k. *vini de manu Subdiaconi, imponit vinum in Calice, Subdiaconus interim ampullam aquæ ostendens Celebranti dicit:* Benedicite Pater Reverende; *qui facto versus eam signo Crucis dicit Orationem:* DEUS, qui humanæ &c. *interim Subdiaconus infundit paululum aquæ in Calicem, Diaconus eum Celebranti dat*, l. *& pedem Calicis tangens, seu brachium dextrum Celebrantis sustentans*, m *cum eo dicit* Offerimus tibi, Domine &c. *quem postea positum in Altari, ut supra, palla cooperit; Subdiacono deinde stanti in cornu Epistolæ ponit in dextra manu Patenam*, n. *quam cooperit extremitate veli ab ejus humero pendentis, qui vadit post Celebrantem ante medium Altaris, & facta genuflexione ibi stat, sustinens eam elevatam usque ad finem Orationis Dominicæ, ut dicetur. In Missis autem Defunctorum, & in Feria sexta Parasceves* o. *Patena non tenetur a Subdiacono.*

E. Facta tamen prius genuflexione in suis locis, ut notat Gavantus p. 2. tit. 7. *lit.*G.

F. Majori intellige, nam parvum velum in Credentia relinquit, ut Calix commodius portetur.

G. Nuda, non velum simul apprehendente.

H. Nisi Populus sit communicandus, & ideo vas Hostiis repletum in Altari stet; tunc enim prius vas istud aperit, & collocat super altare, antequam Patenam porrigit Celebranti, & illud elevat parumper juxta Cæremoniale Episcoporum l. 2. c. 29. dum Celebrans Hostiam offert; qua deposita & ipse vas seu pyxidem deponit, cooperit, & post Calicem collocat, vel ad latus, si spatium tam angustum sit, ut post Calicem collocari non possit.

I. Sed prius Patenam, ut hic monet Gavantus *lit.* N. conformiter aliis ejusmodi porrectionibus.

k. Prius tamen iterum Calicem sinistra manu tenens cum Purificatorio, sicut Celebrans ipse in Missa privata facit. Tam Diaconus autem, quam Subdiaconus accipit ampullam sine osculo.

L. Non nodo, sed pede eum apprehendens, ut commodius a Celebrante accipi queat.

M. Quod utrumque dextra manu peragit, non sinistra, uti nonnulli non satis decore faciunt.

N. Ita

N. Ita, ut pars interior velut nobilior Subdiaconum respiciat.

O. Quia hic ritus lætitiam de æterna vita significat, ut Gavantus *lit*. *R*. ex veteri Codice ostendit, atque adeo non convenit Missis Defunctorum.

X. *Dicto* Veni Creator, *ut supra*, *Celebrans ministrante Diacono naviculam*, *& dicente* Benedicite Pater Reverende, *ponit incensum in thuribulum dicens* Per intercessionem, *ut in ordine Missæ. Deinde accepto thuribulo per manum Diaconi*, *nullam tunc Cruci faciens reverentiam*, *incensat oblata*, p. *ter ducens thuribulum super Calicem & Hostiam simul in modum Crucis* q *& ter circum Calicem & Hostiam*, *scilicet bis a dextra ad sinistram* r. *& semel a sinistra da dextram* (*Diacono interea pedem Calicis tenente manu dextra* s.) *dispensans verba in qualibet incensatione hoc modo: In prima incensatione* Incensum istud. *In secunda* a te benedictum. *In tertia* Ascendat ad te Domine *In quarta* & descendat super nos. *In quinta & sexta* Misericordia tua. *Deinde facta Cruci reverentia incensat Crucem & Altare*, *ut dictum est supra* t. *assistente eodem Diacono*, *interim dicens* Dirigatur Domine Oratio mea, u. *& cum incensatur Crux*, *Diaconus amovet Calicem ad partem Epistolæ*, *& incensata Cruce reponit in suo loco. Cum reddit thuribulum Diacono*, *dicit* Accendat in nobis &c. *& incensatur ab eo: deinde Diaconus incensat chorum* x. *& postremo Subdiaconum tenentem Patenam*; *& ipse Diaconus incensatur a Thuriferario*, *& Thuriferarius postea incensat Acolithos & Populum. Celebrans*, *postquam incensatus fuerit*, *lavat manus*, *ministrantibus Acolytis* y. *ampullam aquæ cum plevicula & manutergio.*

P. Sic vocantur Hostia & Calix vino instructus.

Q. Continuo tractu, & non tantum per quatuor puncta a quatuor lateribus.

R. Intellige dextram & sinistram ipsius Celebrantis.

S. Ne tam facile Calix evertatur.

T. Ante introitum, ubi prima incensatio est facta.

V. Ubi aliqui ad singulos ductus, singula verba dispensant; sed quia rubricæ solos Versus dicendos esse asserunt, arbitrium erit, eos continua vel interpolata pronuntiatione proferre.

X. Comite Thuriferario, & præcedente, ut notat Gavantus

vantus *lit. C.* Ubi etiam addit, eos, qui incensatur, non debere inniti suo sedili, sed quasi extra illud libere stare, & mutuo invitare, antequam incensentur, uti ex Cæremoniali Episcoporum l. 1. c. 23. colligitur.

Y. Cum reverentiis debitis, & quasi osculis ampullæ & manutergii, ante & post, uti monet Gavantus *lit. E.* addens Ad *Orate Fratres* Subdiaconum respondere debere *Suscipiat*.

XI. Cum dicitur Præfatio, Diaconus & Subdiaconus stant retro post Celebrantem, & paulo ante, quam dicatur Sanctus, *accedunt* z. *ad Altare, ubi cum Celebrante hinc inde* Sanctus a. *dicunt, & quæ sequuntur usque ad Canonem* b. *Deinde Diaconus accedit ad sinistram celebrantis, ei assistens,* c. *dum dicitur Canon, nisi alius Sacerdos assistat, quia tunc ipse staret ad dextram aliquantulum post Celebrantem. Subdiaconus vero tunc stat post Celebrantem.* d.

Z. Facta in suis locis post Celebrantem genuflexione, quam rursus faciunt, si, ubi *Osanna in excelsis* ultimum dixerint, iterum recedunt.

A. Stantes intellige, non autem alternatim, sed simul cum Celebrante *Sanctus* dicentes.

B. Facientes cum Celebrante signum Crucis, ubi dicere inceperint *Benedictus*.

C. Id est, folia Missalis vertens, manu librum tenens, ac, quæ dicenda sunt, indicans, non autem manus junctas tenens.

D. Sicut alias stare consuevit, scilicet in plano ante medium Altaris. Quod tamen de Diacono hoc loco dicitur, in paucis locis observatum vidi, utpote in quibus ipse stat post Celebrantem ante Subdiaconum, sicut, dum Præfationem canit Celebrans, stare jubetur.

TITULUS VIII.

DE CANONE MISSÆ USQUE AD CONSECRATIONEM.

I. F*inita Præfatione, ut supra, Sacerdos stans ante medium Altaris versus ad illud, aliquantulum* e. *elevat manus, oculisque elevatis ad DEUM, & sine mora devote demissis, ac manibus*

manibus junctis, & super Altare positis, profunde inclinatus incipit Canonem secreto dicens Te igitur *&c. ut in Ordine Missæ. Cum dicit* uti accepta habeas ac beneditas, *prius osculatur Altare in medio, deinde erigit se, & stat junctis manibus ante pectus. Cum dicit* Hæc dona, hæc munera, hæc sancta Sacrificia, *dextra manu signat ter communiter super Hostiam & Calicem Deinde extensis manibus ante pectus prosequitur* in primus, quæ tibi offerimus.

E. Non ultra humeros, uti multi faciunt; nec demittendo manus, & e profundo sursum elevando.

II. Ubi dicit Una cum Famulo tuo Papa nostro, *exprimit nomen Papæ* f. *Sede autem vacante verba prædicta omittuntur. Ubi dicitur* & Antistite nostro, *specificatur nomen Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi Ordinarii in propria Diœcesi* g. *& non alterius Superioris, etiamsi Celebrans sit omnino exemptus, vel sub alterius Episcopi Jurisdictione. Si vero Episcopus Ordinarius illius loci, in quo Missa celebratur, sit vita functus, prædicta verba omittuntur, quæ etiam omittuntur ab iis qui Romæ celebrant* h. *Si Celebrans est Episcopus, Archiepiscopus, vel Patriarcha, omissis prædictis verbis, eorum loco dicit* & me indigno servo tuo. *Summus autem Pontifex, cum celebrat, omissis verbis* una cum Famulo tuo Papa nostro, & Antistite nostro, *dicit* una cum me indigno Famulo tuo, quem Gregi tuæ præesse voluisti. *Et continuant omnes, ut sequitur* & omnibus Orthodoxis.

F. Et caput inclinat, sicut in collecta inclinare jubetur, cum eadem utrobique sit causa inclinationis, uti recte observat Gavantus p.2. tit. 8. *lit. M.*

G. Per Diœcesin in hoc textu intelligenda est non ea, cui ipse Celebrans subjectus est, sed illa, cui Provincia, in qua celebratur, subdita est, uti ex verbis mox subjunctis patet. Quando autem hic dicitur *Patriarcha*, vel *Archiepiscopi*, non intelligendi sunt Patriarchæ aut Archiepiscopi distincti ab Ordinario loci, sed ii, qui simul sunt Episcopi illius loci, in quo celebratur.

H. Quia Ordinarius Romanæ Urbis est ipse Pontifex.

III. Cum dicit Memento Domine, i. *ellevans, & jungens manus usque ad faciem* k. *vel pectus, sic junctis manibus*

nibus stat paulisper in quiete I. *demisso aliquantulum capite, faciens commemorationem vivorum Christi Fidelium ad suam voluntatem, quorum nomina si vult, secreto commemoret, non tamen necesse est ea exprimere, sed mente tantum eorum memoriam habeat. Potest etiam Celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes illos tam vivos, quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orate intendit, & hoc loco generaliter unico contextu ipsorum vivorum commemorationem facere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa.*

I. Quas voces non alta, aut media voce profert, uti multi faciunt, sed submissa dumtaxat, uti reliqua subsequentia verba.

K. Non tamen admovendo ori, uti nonnulli non satis decenter faciunt, stricte nimis hunc textum interpretantes.

L. Id est, cessans ab oratione vocali, aut certe a pronuntiatione verborum in Ordine Missæ contentorum.

IV. Commemoratione Vivorum facta, demissis m. *& extensis, ut prius, manibus continuat* & omnium circumstantium. *Similiter stans prosequitur* Communicantes n. *Cum dicit* JESU Christi, *caput Cruci inclinat. In conclusione, quando dicit* Per eumdem, *jungit manus. Cum dicit* Hanc igitur oblationem, *expandit manus simul super Oblata* o. *ita ut palmæ sint apertæ versus ac supra Calicem & Hostiam, quas sic tenet usque ad verba illa* Per Christum Dominum nostrum; *tunc enim jungit manus, & sic prosequitur,* Quam igitur oblationem tu, DEUS, in omnibus quæsumus, & *cum dicit*, benedictam, adscriptam, ratam, *communiter signat ter super Hostiam & Calicem simul*; *deinde cum dicit*, ut nobis corpus, *separatim signat semel super Hostiam tantum*, p. & Sanguis, *super Calicem tantum*; *deinde elevans & jungens manus prosequitur* fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri JESU Christi, *& inclinans caput Cruci, extergit, si opus fuerit* q. *pollices & indices super Corporale, & dicit secreto, ut prius*; Qui pridie, quam pateretur, *& accipiens pollice & indice dextræ manus Hostiam, & eam cum illis, ac indice ac pollice sinistræ manus tenens* r. *stans erectus ante medium cum Altaris dicit* accepit panem in sanctas

ctas & venerabiles manus suas, *elevansque ad cælum oculos, & statim demittens*, *dicit*, & elevatis oculis in Cælum ad te DEUM Patrem suum Omnipotentem, *caputque aliquantulum inclinans dicit* tibi gratias agens, *& tenens Hostiam inter pollicem & indicem sinistræ manus f. dextra producit signum Crucis super eam dicens* Benedixit, fregit, deditque Discipulis suis dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes.

M. Si ante faciem junctas habuit, si enim ante pectus tantum sicut Rubricæ liberum relinquunt, eas junxit, nulla depressione manuum, sed sola extensione opus erit.

N. Id est, orationem, quæ sic incipit; quæ tamen, quia certis temporibus quoad aliqua verba circa initium variatur, ideo diligenter Ordo Missæ ante Canonem inspiciendus est, ut sciatur, quandonam ea variatio facienda sit. Sed & ad nomina Sanctorum in hac oratione diligenter attendendum est, ut, quando Festivus illorum dies celebratur, ad eorum nomen pronuntiatum caput inclinetur.

O. Pollicibus & indicibus infra palmas positis, ut communior praxis habet contra Gavantum, & Dianam, qui putant, eos supra manum ponendos, eo quod hoc videatur commodius fieri; sed contrarium experientur omnes, qui hanc eorum praxin imitari fuerint conati.

P. Ita tamen, ut hæc Crucis formatio æqualiter saltem fiat, sicut priores tres communes formationes, quemadmodum Gavantus p. 2. tit. 7. *lit. P.* monet.

Q. Id est, si humidi fuerint, ut ait Gavantus hic *lit. Y.* unde, si nihil simile advertit, potest omittere absque scrupulo hanc extersionem; imo expedit eam omittere, ne frequenti extersione Corporalia sordida efficiantur.

R. Non super Altare positas, sed in aere suspensas gerens manus, cum Rubricæ, quæ alioqui diligenter monent, quando manus super Altare sint ponendæ, nihil hoc loco dicant de iisdem Altari imponendis.

S. Iterum in aere suspensam tenens ob rationem priori litera indicatam. Neque hoc est contra Rubricistas vetantes; dum una manus aliquid agit, alteram in aere elevatam teneri; nam id solum intelligendum est; quando illa manus non ipsa quoque in re aliqua tenenda, aut alio officio est occupata. *V. Si*

V. Si adsit vas cum aliis Hostiis consecrandis, antequam accipiat Hostiam, discooperit manu dextra Calicem, seu vas aliarum Hostiarum t. Cum autem finierit supradicta verba, cubitis super Altare positis stans capite inclinato u. distincte, reverenter x. & secreto profert verba consecrationis super Hostiam, & simul super omnes, si plures sunt consecrandæ, & Hostiam suam pollicibus & indicibus tantum tenens dicit: Hoc est enim Corpus meum. *Quibus prolatis, Celebrans tenens Hostiam inter pollices & indices prædictos super Altare, reliquis manuum digitis extensis & simul junctis (& Hostiis, si plures sint consecratæ, in loco, in quo a principio Missæ posita sunt, super Corporali, vel in alio vase, aut calice dimissis y.) genuflexus, z. eam adorat. Tunc se erigens, quantum commode potest, elevat in altum Hostiam a. & intentis in eam oculis (quod & in elevatione Calicis facit) Populo reverenter ostendit adorandam, & mox sola manu dextra ipsam reverenter reponit super Corporale in eodem loco, unde eam levavit, & deinceps Pollices & Indices non disjungit, nisi quando Hostiam consecratam tangere, vel tractare debet, usque ad ablutionem digitorum post Communionem.*

T. Prius tamen illud ad se retrahens, ut sub consecratione alias Hostias juxta se habeat, ut monet Gavantus hic *lit. B.*

V. Cum in hoc loco nonnullis Rubricæ sibi repugnare videantur, dum cubitos super Altare poni, & caput tantum inclinari præcipiunt, quod, nisi Altare valde altum sit, fieri vix potest, ideo cubitos non integros ad nodum usque, sed medios Altari imponere, ita ut capitis inclinatio sola facilius observari possit.

X. Id est, non nimis præpropere, nec etiam nimis tarde, unam vocem post alteram cum notabili mora, & sonoro anhelitu extrudendo potius, quam proferendo.

Y. Si tamen prius ad se retraxit, ibi eas relinquat, donec Hostiam deposuerit, & adorarit.

Z. Prius tamen cubitos retrahens, & solas manus super Altari relinquens, ut commodius genuflexionem peragere possit.

A. Ita ut altitudo Hostiæ caput excedat, atque adeo a Populo facile videri possit.

VI. Reposita Hostia super Corporali, genuflexus ipsam veneratur: si adsit vas aliarum Hostiarum, Patena vel Palla cooperit, ut supra b. *Interim dum Celebrans elevat Hostiam, incenso prius intorticio quod non extinguitur, nisi postquam Sacerdos Sanguinem sumpserit, vel alios communicaverit, si qui erunt communicandi in Missa, Minister manu sinistra elevat fimbrias posteriores Planetæ, ne ipsum Celebrantem impediat in elevatione brachiorum, quod & facit in elevatione Calicis, & manu dextra pulsat campanulam ter* c. *ad unamquamque elevationem, vel continuate, quousque Sacerdos deponat Hostiam super Corporale, & similiter postea ad elevationem Calicis.*

B. Et in loco, in quo a principio Missæ positæ fuerant, collocat.

C. Id est, semel, dum Sacerdos adorat Hostiam, vel Calicem; & semel dum elevat; & semel, dum deponit illos.

VII. Celebrans adorato Sacramento surgit & discooperit Calicem in quem, si opus sit extergit digitos, e. *quod semper facit, si aliquod fragmentum digitis adhæreat, & stans erectus dicit* simili modo postquam cœnatum est, *& ambabus manibus accipiens Calicem juxta nodum* f. *infra Cuppam, & aliquantulum illum elevans, ac statim deponens dicit* accipiens & hunc præclarum Calicem. *Cum dicit* item tibi gratias agens, *caput inclinat. Cum dicit* benedixit, *sinistra Calicem infra cuppam tenens, dextra signat super eum, & prosequens* deditque Discipulis suis, *ambabus manibus tenens Calicem, videlicet sinistra pedem, dextra nodum infra Cuppam Cubitis super Altare positis* g. *& capite inclinato, profert attente, continuate, & secrete, ut supra verba Consecrationis Sanguinis,* Hic est enim Calix. *Quibus dictis reponit Calicem super Corporale dicens secreto* hæc quotiescumque feceritis h. *genuflexus sanguinem adorat. Tum se erigit, & accipiens Calicem discoopertum cum Sanguine ambabus manibus, ut prius,* i. *elevat eum, & erectum, quantum commode potest, ostendit Populo adorandum: mox ipsum reverenter reponit super Corporale in locum pristinum, & manum dextra Palla cooperit, ac genuflexus Sacramentum veneratur.*

E. Id est, si fragmentum aliquod adhærere digitis putat: nec inconveniens est, particulam consecratam vino nondum

nondum consecrato misceri, cum idipsum Theologi communiter faciendum esse asserant, si æger Hostiam integram deglutire non potest; tunc enim parvam particulam in vino offerendam ajunt.

F. Ita videlicet, ut Pollex & Index sint supra nodum, medius digitus ipsi nodo jungatur, postremi duo infra nodum Calicem apprehendant.

G. Eodem modo, sicut priori numero in Consecratione Hostiæ fieri debere dictum est.

H. Antequam elevet Calicem, ut recte verba Rubricæ interpretatur Gavantus hic *lit. M.*

I. Id est, sinistra pedem, & dextra nodum tenens, non autem ambabus manibus juxta nodum, ut aliqui volebant apud Gavantum *lit. O.*

VIII. In Missa solemni ad finem præfationis accenduntur duo saltem intorticia ab Acolythis, k. quæ extinguuntur post elevationem Calicis, nisi aliqui sint communicandi, & tunc extinguuntur post Communionem. In diebus etiam jejuniorum, & Missis pro Defunctis tenentur accensa usque ad Communionem. l. *Cum autem Celebrans dicit* Quam oblationem, *Diaconus ad ejus dextram accedit, & ibi in superiori gradu Altaris genuflexus, cum Sacramentum elevatur, simbrias Planetæ elevat, &, quando opus est, se erigens, Calicem discooperit, & cooperit, & cum Celebrante genuflectit. Subdiaconus genuflectit in loco suo* m. *Thuriferarius genuflexus in cornu Epistolæ, ter incensat Hostiam, cum elevatur*, n. *& similiter Calicem, posito incenso in thuribulum absque benedictione. Reposito Calice Diaconus redit ad librum, nisi alius assistat. Cæteri surgunt, & stant in suis locis.*

K. Quæ etiam elevantur, quando Celebrans Hostiam & Calicem elevat.

L. Nisi alicubi consuetudo habeat, ut statim post elevationem referantur ad Sacristiam, maxime in generali Communione, in qua ipsi etiam Acolythi communicandi forent.

M. Id est, in infimo gradu, & in medio Altaris post Celebrantem, uti Gavantus *lit. R.* notat, qui etiam *lit. Q.* monet, ut Diaconus, si pyxis cum Hostiis consecratis adsit, ipsam detegat, & prope Hostiam in consecratione collocet, iterumque post Hostiæ elevationem cooperiat, & in pristino loco

Q 2 deponat.

deponat. Dum vero Celebrans Sanguinem consecrat, Diaconus adstare ipsi debet ex Alexandri VII. decreto.

N. Scilicet semel, cum adoratur Hostia; & altera vice, cum elevatur; & tertia vice, cum deponitur; atque eodem modo, dum Calix elevatur.

TITULUS IX.

DE CANONE POST CONSECRATIONEM USQUE AD ORATIONEM DOMINICAM.

I. R*eposito Calice, & adorato, Sacerdos stans ante Altare extensis manibus ante pectus, dicit secreto* Unde & memores. *Cum dicit* de tuis donis ac datis, *jungit manus ante pectus, & cum dicit* Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, *manu sinistra posita super Altare intra Corporale, dextra signat ter communiter super Hostiam & Calicem, & semel super Hostiam tantum & super Calicem tantum dicens* Panem sanctum vitæ æternæ, & Calicem Salutis perpetuæ. *Deinde stans, ut prius, extensis manibus prosequitur* supra quæ propitio. *Cum dicit* Supplices te rogamus, *inclinat se* o. *ante medium Altaris, manibus junctis super illo positis* p. *Cum dicit* ex hac Altaris participatione, *osculatur Altare, manibus hinc inde super Corporale positis. Cum dicit* Sacrosanctum Filii tui, *jungit manus, & dextra signans semel super Hostiam tantum, & semel super Calicem, sinistra super Corporale posita, dicit* Corpus & Sanguinem sumpseris; *& cum dicit* omni benedictione cælesti, *seipsum signat a fronte ad pectus signo Crucis, sinistra posita infra pectus, & prosequitur,* Et gratia repleamur. *Cum dicit* Per eumdem, *jungit manus.*

O. Profunde uti in Ordine Missæ expresse habetur.

P. Non ut tota manus super Altare ponatur, uti non pauci faciunt, sed ut prioribus quatuor digitis super Corporale positis, duo postremi parvi digiti frontem Altaris tangant, quemadmodum fat claris verbis Rubricæ tit. 4. n. 1. indicant.

II. Cum dicit Memento Domine Famulorum, Famularumque

rumque tuarum, *extensis & junctis manibus ante pectus, usque ad faciem elevatis,* q. *& intentis oculis in Sacramentum super Altare facit commemorationem Fidelium Defunctorum, de quibus sibi videtur, eodem modo, ut dictum est de Commemoratione Vivorum. Qua Commemoratione facta stans, ut prius, extensis manibus prosequitur* Ipsis Domine, & omnibus in Christo &c. *& in fine ad* Per eumdem *jungit manus, & caput inclinat.*

Q. Forte particula copulativa & loco particulæ disjunctivæ *vel* substituta est, cum in Commemoratione Vivorum jubeatur Celebrans manus junctas ante faciem vel pectus tenere.

III. Cum dicit Nobis quoque Peccatoribus, *vocem aliquantulum elevat* r. *Et dextra manu pectus sibi percutit* ſ. *Sinistra manu super Corporale posita, & prosequitur secreto* Famulis tuis *stans manibus extensis, ut prius. Cum dicit*, Per Christum Dominum nostrum, per quem & hæc omnia, Domine, semper bona creas, *jungit manus ante pectus: deinde dextra manu ter signans communiter super Hostiam & Calicem, dicit* Sanctificas, vivificas, benedicis, & præstas nobis. *Postea discooperit manu dextra Calicem & genuflexus Sacramentum adorat; tum se erigit, & reverenter accipit Hostiam inter Pollicem & Indicem dextræ manus, & cum ea super Calicem,* t. *quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam, signat ter a labio usque ad labium, dicens* Per ipsum, & cum ipso, & in ipso: *& similiter cum Hostia signat bis inter Calicem & pectus, incipiens a labio Calicis, & dicit* Et tibi DEO Patri Omnipotenti, in Unitate Spiritus Sancti. *Deinde tenens manu dextra Hostiam super Calicem, sinistra Calicem, elevat eum aliquantulum simul cum Hostia dicens* Omnis honor & Gloria: *& statim utrumque deponens, Hostiam deponit super Corporale, &, si opus sit, digitos extergit, ut supra, ac Pollices & Indices, ut prius, jungens Calicem Palla cooperit.*

R. Media scilicet voce, qua tamen sola hæc tria verba pronunciat.

S. Non tamen omnibus digitis, sed tribus postremis dumtaxat.

T. Non pauci hanc triplicem Crucem faciunt intra Cali-

Q 3 cem,

cem, sed hoc non est necesse, cum Rubrica tantum jubeat fieri illas Cruces *super Calicem.*

IV. In Missa solemni, cum Celebrans dicit Per quem hæc omnia, *Diaconus facta Sacramento genuflexione, accedit ad dextram Celebrantis, & quando opus est, discooperit Calicem, & cum Celebrante adorat: Similiter cooperit, & iterum genuflectit* u. *Cum incipit* Pater noster: *idem vadit retro post Celebrantem facta prius Sacramento genuflexione, ubi stat, dum dicitur Oratio Dominica.*

V. Quas tamen genuflexiones solus hic Diaconus, non autem alii Ministri cum Celebrante faciunt, quia solus Diaconus proprie illi assistit, ut notat Gavantus p. 2. tit. 9. *lit.* N.

TITULUS X.

DE ORATIONE DOMINICA, ET ALIIS USQUE AD FACTAM COMMUNIONEM.

I. *Celebrans cooperto Calice, adoratoque Sacramento, erigit se, & manibus extensis hinc inde super Altare positis, dicit intelligibili voce,* Per omnia sæcula sæculorum; *& cum dicit* Oremus *jungit manus, caput Sacramento inclinans. Cum incipit* Pater noster, *extendit manus, & stans oculis ad Sacramentum intentis, prosequitur usque ad finem.* x. *Responso a Ministro* Sed libera nos a malo, *& a Celebrante submissa voce* Amen, *manu dextra, Pollice & Indice non disjunctis, Patenam aliquantulum Purificatorio extergens, eam accipit inter Indicem & medium digitos, quam tenens super Altare* y. *erectam, sinistra super Corporale posita, dicit secreto* Libera nos quæsumus.

X. Id est, usque ad *Sed libera nos a malo* exclusive; hoc enim Minister dicit.

Y. Ex hoc textu evincere volunt nonnulli, Patenam extra Corporale super Altari ponendam esse, cum statim subjungant Rubricæ, sinistram manum super Corporale poni debere, atque adeo idem etiam de Patena dicturæ fuissent, si voluissent, eam super Corporale poni, Et forte ideo etiam super solum Altare poni voluit, ne Corporale, quod ex tenui plerum-

plerumque materia perficitur, ex acie Patenæ stricturas accipiat. Sed communior praxis fere Purificatorium super Corporale & postea Patenam super Purificatorio ponit. Prior tamen opinio, & praxis Rubricis in sensu rigoroso conformior videtur, juxta quam accuratiores Rubricistæ Purificatorium extra Corporale, ut prius fuerat, collocant, & super eo Patenam ponunt, ut extra Corporale posita sit, & simul etiam verum sit, illam super Altari, saltem mediate positam esse.

II. Antequam Celebrans dicat, Da propitius pacem, *elevat manu dextra Patenam de Altari, & seipsum cum ea signat a fronte ad pectus signo Crucis dicens:* Da propitius pacem in diebus nostris. *Cum signat se, manum sinistram ponit infra pectus: deinde Patenam ipsam osculatur, z. & prosequens,* ut ope Misericordiæ tuæ, *submittit Patenam Hostiæ, quam indice sinistro accommodat super Patenam, discooperit Calicem, & genuflexus Sacramentum adorat: tum se erigens, accipit Hostiam inter Pollicem & indicem dextræ manus, & cum illis ac Pollice & Indice sinistræ manus eam super Calicem tenens reverenter frangit per medium, dicens:* Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, *& mediam partem, quam inter Pollicem & Indicem dextræ manus tenet, ponit super Patenam: de alia media, quam sinistra manu tenet, frangit cum Pollice & Indice dextræ manus particulam, prosequens,* Qui tecum vivit & regnat, *& eam inter ipsos dextræ manus Pollicem & Indicem retinens, partem majorem, quam sinistra tenet, adjungit* b. *mediæ super Patenam positæ, interim dicens,* In Unitate Spiritus Sancti Deus, *et particulam Hostiæ, quam in dextra manu retinuit, tenens super Calicem, quem sinistra per nodum infra Cuppam retinet, intelligibili voce dicit:* Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen, *et cum ipsa particula signans ter a labio ad labium Calicis dicit:* Pax Domini sit semper vobiscum. *Responso per Ministrum,* Et cum spiritu tuo, *particulam, quam dextra manu tenet, immittit in Calicem c. dicens secreto:* Hæc commixtio & consecratio Corporis, &c. *Deinde Pollices et Indices super Calicem aliquantulum tergit, et jungit, Calicem Palla cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat, surgit et stans junctis manibus ante pe-*

ctus, capite inclinato versus Sacramentum d. *dicit intelligibili voce:* Agnus DEI qui tollis peccata mundi, *et dextra percutiens sibi pectus, sinistra super Corporale posita dicit:* Miserere nobis, *et deinde non jungit manus, sed iterum percutit sibi pectus* e. *cum dicit secundo* Miserere nobis: *quod et tertio facit, cum dicit*, Dona nobis pacem.

Z. Non vero Purificatorio post osculum applicat, & purificat, ut aliqui sine necessitate faciunt.

A. Commodissimus frangendi modus est, ut in suprema, media, & infima parte medietatis ab initio fiat modica ruptura, & postea primum tota Hostia frangatur; sic enim in duas æquales partes facilius dividitur; ob quam causam aliqui in Hostiis, quæ in Arropta (dem Hostyrisem) pinsuntur, a tergo fissuram in medio fieri curant.

B. Aliqui sic mediæ parti jungunt alteram mediam, ut tota rotunditas appareat; alii eamdem super alteram nonnihil ponunt, ut facilius, & sine fragmentorum periculo arripi postea possit; neutri contra Rubricas agunt, cum hæ nihil circa hunc junctionis modum determinent.

C. Prope ipsum labium, ut, ubi Sanguinem sacrum sumpserit, cum vino in os certius influat, & non, ut alias, si in medio Calicis immittatur, in Calice hæreat.

D. Etsi hoc loco Rubricæ Capitis tantum inclinati mentionem faciant; quia tamen in Ordine Missæ inclinatus esse jubetur Celebrans, ideo rectius Humerorum inclinatio facienda dicitur.

E. Nonnulli post singulas percussiones manum dextram Altari imponunt, sed nulla est necessitas, si ita peragant has percussiones, ut, dum manum removent a pectore, interea verba illa *Agnus DEI*, usq; ad *Miserere* vel *Dona nobis* absolvant.

III. Tunc manibus junctis super Altare positis, oculisque ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit secreto Domine JESUS Christe. *Qua Oratione finita, si est daturus pacem, osculatur Altare in medio, et instrumentum pacis ei porrectum a Ministro juxta ipsum ad dextram, hoc est, in cornu Epistolæ genuflexo, et dicit* Pax tecum, *Minister respondit:* Et cum Spiritu tuo. *Si non adsit, qui hujusmodi instrumento Pacem recipiat a Celebrante, Pax non datur, etiamsi illius datio Missæ conveniat; nec osculatur Altare,*

sed dicta

sed dicta præmissa Oratione, statim subjungit alias Orationes ut in Ordine Missæ.

IV. Si vero celebret pro Defunctis, non percutit pectus ad Agnus DEI f. *quia dicit*; Dona eis requiem; *nec dicit primam Orationem*, Domine JESU Christe qui dixisti Apostolis tuis. *Non dat pacem*, g. *sed dicit alias duas sequentes Orationes*, Domine JESU Christe, Fili DEI vivi, & Perceptio Corporis tui. *Quibus Orationibus dictis, genuflectens Sacramentum adorat, & se erigens dicit secreto:* Panem cælestem accipiam. *Quo dicto, dextera manu accipit de Patena* h. *reverenter ambas partes Hostiæ, & collocat inter Pollicem & Indicem sinistræ manus*, i. *quibus Patenam inter eumdem Indicem & medium digitos supponit, & eadem manu sinistra tenens partes hujusmodi super Patenam inter pectus & Calicem* k. *parum inclinatus, dextra tribus vicibus percutit pectus suum, interim etiam tribus vicibus dicens voce aliquantulum elevata*, l. Domine, non sum dignus, *& secreto prosequitur*, ut intres &c. *Quibus tertio dictis, accipit ex sinistra ambas partes prædictæ Hostiæ inter Pollicem & Indicem dextræ manus, & cum illa supra Patenam signat seipsum signo Crucis, dicens:* Corpus Domini nostri JESU Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen. *& se inclinans, cubitis super Altare positis reverenter easdem partes sumit: quibus sumptis deponit Patenam super Corporale, & erigens se junctis Indicibus & Pollicibus, ambas quoque manus ante faciem jungit*, m. *& aliquantulum quiescit in meditatione Sanctissimi Sacramenti.* n. *Deinde positis manibus dicit secreto:* Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi: *& iterum discooperit Calicem*, o. *genuflectit, surgit, accipit Patenam, inspicit Corporale*, p. *colligit fragmenta cum Patena, si quæ sint in eo, Patenam quoque diligenter cum Pollice & Indice dextræ manus super Calicem extergit, & ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat.*

F. Non tamen manus super Altare ponens, sed ante pectus elevatas gerens, uti solebat, quando alias *Agnus DEI* dicebat.

G. Quia Pax est signum lætitiæ, atque adeo non convenit Missæ Defunctorum, ut Alcuinus apud Gavantum *lit. A.* discur-

discurrit ; aut , quia defuncti jam quiescunt in Domino , adeoque non indigent apprecatione pacis , uti Durandus ib. cit. asserit.

H. Ita tamen , ut prius , sinistra manu eas ad extremitatem Patenæ promoveat.

I. Sive unam partem supra alteram ponendo , sive juxta se collocando , ita , ut circulus Hostiæ integer appareat , sicut aliqui faciunt.

K. Non super Altare cubitos aut manum imponens , cum Rubricæ hic nihil hac de re dicant , quod tamen alioqui diligenter faciunt , si manus vel Cubiti super Altare ponendi sint. Adde , quod eædem Rubricæ paulo post dicant , cubitos (non unum dumtaxat) supra Altare locandos esse , ergo prius non ibi ponendi.

L. Media videlicet , qua tamen non nisi verba illa : *Domine non sum dignus* : pronuncianda sunt.

M. Non tamen ori applicat , uti aliqui rigorose nimis hunc locum interpretantes faciunt.

N. Id est , in piis affectibus erga Christum tunc sibi præsentem eliciendis.

O. Pro qua genuflexione & Calicis detectione , generalis hæc regula assignari potest , quod scilicet ante Consecrationem detectio debeat fieri post genuflexionem ; post Consecrationem vero fieri debeat ante genuflexionem.

P. Num scilicet aliqua illic fragmenta hæreant.

V. Si vero adsunt Hostiæ consecratæ super Corporale positæ pro alio tempore conservandæ , facta prius genuflexione , reponit eas in vas ad hoc ordinatum , & diligenter advertit , ne aliquod fragmentum quantumcumq; minimum remaneat super Corporale , quod si fuerit , accurate reponit in Calicem. Post extersionem Patenæ junctis Pollicibus & Indicibus Calicem dextra manu infra nodum q. cuppæ accipit , sinistra Patenam dicens : Calicem Salutaris , *& signans se signo Crucis cum Calice r. dicit :* Sanguis Domini nostri , *& manu sinistra supponens Patenam Calici , stans reverenter sumit totum Sanguinem cum particula posita. Quibus sumptis dicit secreto ;* Quod ore sumpsimus , *& super Altare porrigit Calicem Ministro s. in cornu Epistolæ , quo vinum fundente se purificat : deinde vino & aqua t. abluit Pollices & Indices super Calicem ,*

quos

quos abstergit Purificatorio, interim dicens: Corpus tuum Domine quod sumpsi: *ablutionem sumit, & extergit os & Calicem Purificatorio: quo facto Purificatorium u. extendit super Calicem, & desuper Patenam, ac super Patena parvam Pallam, & plicato Corporali; quod reponit in Bursa, cooperit Calicem velo, & Bursam desuper ponit, et collocat in medio Altaris ut in principio Missæ* x.

Q. Non supra nodum, id est infra cuppam, aut in ipso nodo, sed infra illum, ut clarus habet Rubricæ textus, propterea forte id præcipiens; ne manus sit nimis propinqua ori, dum Calicem sumit.

R. Ita tamen, ut sinistram cum Patena in Altari ponat, donec sumere Sanguinem incipiat: ipsam vero Crucem faciat a fronte ad pectus descendendo; sicut alias, cum seipsum manu signat, facere consuevit.

S. Nisi tam parvus sit minister, ut super Altare brachia extendere non possit.

T. Non solo vino, uti aliqui faciunt, seducti ab Ordine Missæ, qui solius vini mentionem facit, dum Sacerdos se purificare jubetur, non attendentes autem, quod nulla ibi ablutionis digitorum vino solo faciendæ mentio fiat, sed alibi, qua ratione fieri debeat, explicatum supponatur.

V. Aliqui tamen prius Purificatorio Patenam extergunt, quod tolerari potest.

X. Nimirum tegendo totum Calicem, ut ostendatur mysterium Passionis, seu ipsum Sacrificium peractum esse, ut Gavantus p. 2. tit. 16. n. 11. notat.

VI. Si qui sunt communicandi in Missa; Sacerdos post sumptionem sanguinis, antequam se purificet, facta genuflexione ponat particulas consecratas in pyxide; vel, si pauci sint communicandi, super Patenam, nisi a principio positæ fuerint in pyxide, vel alio Calice. Interim Minister ante eos extendit linteum seu velum album, et pro eis facit confessionem dicens: Confiteor DEO. *Tum Sacerdos iterum genuflectit, et manibus junctis vertens se ad Populum in cornu Evangelii dicit:* Misereatur vestri &c. & Indulgentiam, Absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum *etc. et manu dextra facit Crucem super eos. Postea genuflectens, accipit manu sinistra Pyxidem seu Patenam cum Sacramento, dextra vero*

sumit

sumit unam particulam, quam inter pollicem & indicem tenet aliquantum elevatam super pyxidem seu Patenam, & conversus ad communicandos in medio Altaris, dicit: Ecce Agnus DEI, Ecce, qui tollit peccata mundi: *Deinde dicit*, z. Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea. *Quibus verbis tertio repetitis ad eorum dextram, hoc est, ad latus Epistolæ, vadit & unicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo signum Crucis super Pyxidem vel Patenam, & simul dicens:* Corpus Domini nostri JESU Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen. a. *Omnibus communicatis revertitur ad Altare nihil dicens* b. *Et non dat eis benedictionem, quia illam daturus est in fine Missæ* c. *Si particulæ positæ erant super Corporale, extergit illud cum Patena, &, si quæ in eo fuerint fragmenta, in Calicem immittit. Deinde dicit secreto*, Quod ore sumpsimus, Domine; *& se purificat dicens:* Corpus tuum Domine, quod sumpsi, *& alia facit, ut supra. Minister autem dextra manu tenens vas cum vino & aqua, sinistra vero mappulam, aliquanto post Sacerdotem eis porrigit Purificationem, & mappulam ad os abstergendum.*

Z. Vernacula lingua, si ii, qui communicandi sunt, non calleant latinam linguam.

A. Aliqui juxta sua Ritualia Diœcesana etiam addunt: *Pax tecum*, quod, etsi sit præter Rubricas, tolerari tamen potest, cum nihil indecentiæ in verbis illis appareat, sed potius apta sint pium sensum in animis communicantium generare.

B. Nisi aliqua Ritualia Diœcesana aliquid dicendum præcipiant, sicuti Augustanum Rituale jubet, ut Antiphona *O sacrum Convivium*, cum versiculo: *Panem de cælo* &c. atque Oratione, *DEUS qui nobis sub Sacramento mirabili* recitetur.

C. Ubi tamen iterum consuetudo loci observanda est; qualis est in Augustana Diœcesi, in qua Sacerdos jubetur post Communionem reponere Sacramentum in Tabernaculo; & deinde extenta manu dextra benedicere iis, qui communicarunt, dicens: *Benedictio DEI omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper Amen.*

Aliqui

Aliqui tamen solo Sacramento, antequam illud in Tabernaculo ponant, dant benedictionem; quæ consuetudo ad Populi devotionem excitandam conformior videtur.

VII. Si in Altari remaneant particulæ in Calice, seu in alio vase usque ad finem Missæ, serventur ea, quæ in Feria quinta Cœnæ Domini præscribuntur circa finem Missæ. d.

D. Scilicet ut genuflectat, quandocumque accedit, vel recedit a medio Altaris, vel transit ante Sacramentum in pyxide vel alio vase reservatum.

VIII. In Missa solemni Diaconus stans retro post Celebrantem, cum in oratione Dominica dicitur, & dimitte nobis debita nostra, *facta ibidem genuflexione, vadit ad dextram Celebrantis, & Subdiaconus circa finem Orationis Dominicæ, facta item genuflexione, revertitur ad Altare, & stans in cornu Epistolæ porrigit Patenam Diacono qui eam discooperit, & Purificatorio abstergens dat Celebranti, illius manum osculando, & quando opus est, discooperit, & cooperit Calicem, & cum Celebrante adorat. Subdiaconus reddita Patena & deposito velo, quod ab humeris ejus pendebat, genuflectit, & descendit retro post Celebrantem* e. *& cum dicitur* Pax Domini, *iterum genuflectens accedit ad sinistram Celebrantis, & simul dicunt* Agnus DEI, f. *deinde facta ibidem Sacramento genuflexione, redit post Celebrantem. Diaconus vero a dextris genuflexus expectat pacem, & cum Celebrans osculatur Altare, ipse se erigens simul osculantur illud extra Corporale, & a Celebrante dicente:* Pax tecum, *complexus accipit pacem, sinistris genis sibi invicem appropinquantibus* g. *& ei respondet:* Et cum Spiritu tuo. *Postea iterum Sacramento in Altari adorato vertit se ad Subdiaconum retro post Celebrantem, & similiter dat ei pacem; Subdiaconus accepta pace a Diacono, & facta Altari genuflexione, comitatus ab Acolytho vadit ad Chorum, & dat pacem primo cujusque Ordinis, dignioribus prius, deinde minus dignis, & reversus ad Altare, facta genuflexione dat pacem Acolytho, qui ipsum comitaverat, qui & aliis Acolythis circa Altare dat pacem.* h. *Deinde Subdiaconus vadit ad dextram Celebrantis, & quando opus est, discooperit Calicem, accipit ampullam vini, & infundit, quando Celebrans vult purificare,* i. *Diaconus post datam pacem Subdiacono vadit ad librum, & dum Celebrans se commu-*

communicat, stant ipse & Subdiaconus profunde inclinati k. *versus Altare.*

E. In plano scilicet ante infimum gradum, nisi Altare multos haberet gradus, tum enim in penultimo post Celebrantem staret.

F. Ita tamen, ut simul etiam cum eodem pectus percutiant.

G. Et utroque brachio ab eo, qui dat pacem, super humeros posito, ut ordo Romanus habet; licet alicubi consuetudo sit, ut dextrum dumtaxat brachium super humeros, sinistrum infra illos ponat.

H. Nisi forte alicubi consuetudo sit, ut solus ille, qui pacem accepit, Ministro sibi proximo pacem tribuat.

I. Ad digitorum tamen ablutionem etiam aquam affundere debet, sicut ex iis, quæ n. 5. dicta sunt, colligitur.

K. Decet enim, ut, sicut Diaconus & Subdiaconus inferiores sunt Celebrante, ita etiam magis se humilient.

IX. In Missa Pontificali Assistens accipit, & defert pacem, ut in Cæremoniali habetur. l. *Si in Missa solemni fiat Communio, omnia serventur, ut supra, sed prius communicet Diaconum & Subdiaconum, deinde alios per ordinem, & Diaconus Purificationem eis ministret* m. *Interim a Choro cantatur Antiphona, quæ dicitur Communio.* n.

L. In quo tamen casu Gavantus p. 2. tit. 10. ait, Diaconum debere recipere pacem ante Clerum, & Subdiacono eam dare.

M. Nisi Patenam ex recepta alicubi consuetudine mento Communicantium supponere, & Celebrantem comitari debeat.

N. Aut alias cantiones de Sacramento, aut Christo.

TITULUS XI.

DE COMMUNIONE ET ORATIONIBUS POST COMMUNIONEM DICENDIS.

I. Celebrante purificato, dum Calicem collocat in Altari, liber Missalis defertur per Ministrum ad cornu Epistolæ, & collocatur, ut in Introitu, o. *Ipse autem Minister genu-*

genuflectit juxta cornu Evangelii , ut in principio Missæ. p. *Deinde Celebrans stans junctis manibus legit Antiphonam , quæ dicitur Communio .* q. *Qua lecta , junctis item manibus ante pectus vadit ad medium Altaris , & eo osculato , vertit se ad Populum a manu sinistra ad dexteram , & dicit* Dominus vobiscum , *& per eamdem viam redit ad librum , & dicit Orationem post Communionem , eisdem modo , numero , & ordine , ut supra dictæ sunt Collectæ. Quibus finitis claudit librum ,* r. *et jungens manus ante pectus revertitur ad medium Altaris , ubi eo osculato vertit se ad Populum & dicit , ut supra* Dominus vobiscum. *Quo dicto stans junctis manibus ante pectus versus Populum dicit , si dicendum est ,* Ite , missa est , *& per eamdem viam revertitur ad Altare. Si vero non sit dicendum , dicto* Dominus vobiscum , *revertitur eodem modo per eamdem viam ad medium Altaris , ubi stans versus illud , junctis ante pectus manibus dicit ,* Benedicamus Domino s. *In Missa autem Defunctorum eodem modo stans versus Altare dicit ,* Requiescant in pace. t.

O. Sic nempe , ut Celebrantem recta versus Altare stantem respiciat.

P. Intellige quoad latus , non autem quoad locum ipsum genuflexionis ; nam in principio Missæ in plano flectebat , nunc vero in primo gradu flectere solet juxta communem praxin Ministrorum.

Q. *Communio* dicitur ea Antiphona , quia olim sub Populi Communione cantabatur ad gratias DEO propter beneficium Communionis agendas ; ipsæ vero Collectæ , quæ subjunguntur , *Postcommunio* vocantur in Missali , quia post Communionem peractam olim pro Communicatis dicebantur , iisque gratia a DEO petebatur , ut beneficium Communionis in salutem cederet ; unde nulla alia tunc benedictio dabatur , ut ex Micrologo notat Gavantus p. 1. tit. 13. *lit. I.*

R. Etsi Gavantus hic *lit. F.* manu dextra claudi librum velit , ita , ut pars libri clausa calicem respiciat ; communis tamen praxis est , ut quo commodius a Ministro accipi possit , sic claudatur , ut tergum libri Calicem respiciat.

S. Dicitur hoc *Benedicamus Domino* versus Altare , quia ibi proprie residet Dominus , qui laudatur ; & cui gratiæ aguntur.

T.Quæ

T. Quæ verba dicuntur pariter versus Altare, quia non ad populum præsentem, sed ad Defunctos absentes pertinent: Dicuntur autem in plurali, etiamsi pro unico tantum defuncto dicta sit Missa, uti notat Gavantus p. 1. tit. 13. *lit. O.*

II. In Quadragesima autem a Feria quarta Cinerum usque ad Feriam quartam Majoris Hebdomadæ, in Feriali Officio, postquam Celebrans dixit Orationes post Communionem, cum suis solitis conclusionibus, antequam dicat, Dominus vobiscum, *stans in eodem loco ante librum dicit* Oremus, Humiliate Capita vestra DEO, *caput inclinans, & extensis manibus subjungit eadem voce Orationem super Populum ibidem positam*, u. *qua finita osculatur Altare, & vertens se ad Populum dicit*, Dominus vobiscum, *& alia, ut supra.*

V. Cujus Orationis dicendæ hanc Rationem ex Micrologo reddit Gavantus hic *lit. N.* quod olim in fine Missæ Populo panis benedictus distribuebatur, quod quia in Quadragesima ob jejunium non licebat, pro pane dicta est alia Oratio super Populum. Sed hæc ratio probaret, etiam in aliis diebus jejuniorum similem Orationem dicendam fuisse, quod tamen constat non fieri, ideo rectius videtur dici, Ecclesiam hoc tempore hanc Orationem adjicere voluisse, ut nobis finem Quadragesimalis jejunii in memoriam revocaret, atque ad nosmetipsos coram DEO per pœnitentiam, & jejunium humiliandos excitaret.

III. In Missa solemni Diaconus defert librum x. *Missalis ad cornu Epistolæ, deinde vadit retro post Celebrantem. Subdiaconus vero vadit ad cornu Evangelii*, y. *ubi Calicem mundat, aptat cum Purificatorio, Patena & Palla cooperit, plicat Corporale, reponit in Bursam, & illam ponit super Calicem coopertum velo, quem collocat in Altari, vel super Credentia, ut prius: postea redit ad locum suum retro post Diaconum*, z. *qui cum dicit*, Ite, Missa est, *cum Celebrante vertit se ad Populum*, a. *& in Quadragesima dicto per Celebrantem* Oremus b. *Diaconus in cornu Epistolæ vertens se ad Populum, junctis manibus dicit, ut supra* Humiliate capita vestra DEO c. *quo dicto vertit se versus Altare a tergo Celebrantis, & Celebrans dicit Orationem super Populum.*

X. De-

X. Defert autem Diaconus librum clausum, quem deinde aperit, ubi legenda est Communio. Sed & genuflexionem non omittit, quando transit ante medium Altaris.

Y. Itidem cum genuflexione in medio Altaris, ita tamen, ut superiorem gradum Diacono transeunti cedat.

Z. Genuflectens tamen iterum, quando accedit ad medium Altaris.

A. Nonnihil tamen ad latus, ne tergum Celebranti obvertat.

B. Ad ultimam scilicet Orationem, prout in Missali notatur.

C. Ubi tamen, quando se vertit, non opus est, genuflexionem facere, ut ait Gavantus hic *lit. S.*

TITULUS XII.

DE BENEDICTIONE IN FINE MISSÆ, ET EVANGELIO S. JOANNIS.

1. DIcto Ite, Missa est, *vel* Benedicamus Domino, *ut supra, Celebrans ante medium Altaris stans junctis manibus super eo, & capite inclinato, dicit secreto* Placeat tibi sancta Trinitas, *quo dicto, extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum in medio osculatur: tum erigens se, adhuc stans versus illud, elevat ad Cælum oculos, &, manus, quas extendit, & jungit; d. caputque Cruci inclinans dicit intelligibili voce,* Benedicat vos Omnipotens DEUS, *& junctis manibus, & demissis ad terram oculis, vertens se ad Populum a sinistro latere ad dextrum, extensa manu dextra, junctisque digitis, & manu sinistra infra pectus posita semel* e. *benedicit Populo dicens:* Pater, Filius, & Spiritus sanctus. ℟. Amen. *& in circulum perficiens* f. *accedit ad cornu Evangelii, ubi dicto* Dominus vobiscum, *&* ℟. Et cum spiritu tuo, *pollice dextro signans primum signo Crucis Altare, seu librum in principio Evangelii,* g. *deinde frontem & pectus, dicit* h. Initium S. Evangelii Secundum Joannem, *vel* Sequentia S. Evangelii, *ut dictum est in Rubricis generalibus, &* ℟. Gloria tibi Domine, *junctis manibus legit Evangelium* In principio, *vel aliud ut con-*

R *venit*

venit i. *Cum dicit*: Et Verbum Caro factum est, *genuflectit versus cornu Evangelii*, & *surgens prosequitur, ut prius. Quo finito*, *Minister stans a parte Epistolæ respondet* DEO gratias.

D. Extendit quidem elavando, jungit autem post elevationem.

E. Ad differentiam Episcoporum & Abbatum, qui ter benedicere solent.

F. Id est, non amplius ad medium Altaris rediens, sed ex integro se vertens.

G. Vel etiam ipsam Tabellam, si memoriæ suæ diffidens ex illa legit Evangelium.

H. Ita tamen, ut, dum Altare, vel librum, vel Tabellam signat, manum sinistram Altari; dum vero se signat, pectori apponat.

I. Id est, prout Festa & Feriæ occurrentes v. g. Dominicæ, Feriæ majores, & Vigiliæ requirunt.

II. Si Celebrans in Altari vertit faciem ad Populum, non vertit se, sed stans, ut erat, benedicit Populo, ut supra in medio Altaris: k. *deinde accedit ad cornu Evangelii*, & *dicit Evangelium Sancti Joannis.*

K. Puta, si Altare ad Orientem sit exstructum, ita ut, dum Celebrans versus Altare stat, Populum ante oculos habeat.

III. Si celebravit coram summo Pontifice, *Cardinale*, & *Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha*, *Archiepiscopo*, & *Episcopo in Provincia*, *Civitate*, *vel Diœcesi sua existente*, *Celebrans dicto*: Placeat tibi SS. Trinitas, *dicit* Benedicat vos Omnipotens DEUS, & *convertens se ad Summum Pontificem genuflectit*, *ad Cardinalem vero*, & *Legatum*, *vel alium ex supradictis Prælatis*, *capite inclinato*, *quasi licentiam benedicendi petens prosequitur*: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, *benedicens astantes a parte*, *ubi non adest Pontifex*, *Cardinalis*, *Legatus*, *aut Prælati prædicti*. *Si autem celebravit coram Patriarcha*, *Archiepiscopo*, & *Episcopo extra eorum Provinciam*, *Civitatem*, *aut Diœcesin constitutis*, *eis absque alio respectu*, *ut cæteris*, *qui intersunt*, *more consueto benedicit.*

IV. Si autem celebravit pro defunctis, *dicto*: Placeat tibi SS. Trinitas, *ut supra* & *osculato Altari*, *accedit ad cornu*

Evan-

Evangelii , & dicit Evangelium S. Joannis ; prætermissa benedictione , quæ in Missis Defunctorum non datur.

V. Finito Evangelio in fine Missæ , si celebravit coram Summo Pontifice , Cardinale , & Legato Sedis Apostolicæ , vel Patriarcha , Archiepiscopo , & Episcopo , convertit se ad illum, coram quo ex prædictis celebravit , & facit reverentiam convenientem , l. *Si non celebravit coram aliquo prædictorum , hujusmodi reverentia prætermittit.*

L. Modica scilicet genuflexione , vel profunda Corporis inclinatione , prout mos est in loco , in quo celebrat.

VI. Quibus omnibus absolutis , extinguuntur per Ministrum candelæ , m. *interim Sacerdos accipit sinistra Calicem , dextram ponens super Bursam , ne aliquid cadat , descendit ante infimum gradum Altaris ;* n. *& ibi in medio vertens se ad illud , caput inclinat* o. *vel , si in eo est Tabernaculum SS. Sacramenti , genuflectit , & facta reverentia , accipit Birretum a Ministro , caput cooperit , ac præcedente eodem Ministro , eodem modo quo venerat , redit ad Sacristiam , interim dicens Antiphonam* Trium Puerorum p. *& Canticum* Benedicite. *Si vero dimissurus sit Paramenta apud Altare , ubi celebravit , finito Evangelio prædicto ibidem illis se exuit, & dicit Antiphonam* Trium puerorum *cum Cantico* Benedicite , *& aliis Orationibus , ut suo loco ponuntur.*

M. Extingui deberent juxta Gavantus hic *lit. F.* primo in cornu Evangelii , deinde in cornu Epistolæ , ut Minister statim Missale cum Biretto Sacerdotis accipere possit : unde non bene faciunt Ministri , qui , dum Celebrans Evangelium legit , in cornu Epistolæ jam lumen extinguunt ; nec enim lumina extingui debent ante finem Missæ ; præstatque Sacerdotem expectare , quam aliquid non satis Rubricis conveniens agere.

N. Prius tamen etiam , dum ab Altaris medio discedit: Crucis reverentiam faciens.

O. Cum profunda ipsius etiam Corporis inclinatione , uti ex alibi dictis de inclinatione ante Altare colligitur.

P. Quam tamen in Festis duplicibus etiam ante Canticum integrum recitat.

VII. In Missa solemni Celebrans eadem voce & modo , quo in privatis Missis , semel tantum benedicit Populo , nisi sit

Episcopus, q. *& dicto Evangelio secundum Joannem*, *vel alio, ut supra, Ministrante Subdiacono librum*, r. *si opus est, discedit cum Ministris ordine & modo, quo venerat.*

Q. Aut Abbas, qui ad modum Episcoporum ter etiam benedicere solet.

R. Id est, ad cornu Evangelii deferente, & folia, si opus est, vertente: Diacono interea quasi medio inter Celebrantem & Subdiaconum, aliquantum tamen post Celebrantem, stante. Qui ambo ad benedictionem Celebrantis genuflectunt in supremo gradu ad bina latera Celebrantis, &, dum is benedictionem dat populo, etiam ipsi sibi Crucis signum formant.

VIII. Episcopus autem ter benedicit Populo, etiam in Missis privatis, ut in Cæremoniali habetur.

TITULUS XIII.

PRECES IN REGRESSU AB ALTARI SACERDOTIBUS DICENDÆ.

Antiph. Trium puerorum cantemus Hymnum; &c.

Canticum trium puerorum Dan. 3.

Benedicite omnia opera Domini Domino &c.

Psalm. 150. Laudate Dominum in Sanctis ejus.

Sumuntur ex Laudibus Dominicæ: deinde repetitur. Ant.

Trium puerorum cantemus Hymnum: quem cantabant Sancti in camino ignis benedicentes Dominum.

Quæ Antiphona in Festis Duplicibus tantum Duplicatur: & in Missis, quæ ritu duplici id est, sub una Oratione (etiam pro defunctis) dicuntur: & tempore Paschali additur in fine Alleluja.

Sacerdos dicit.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo. Amen.

℣. Confi-

℣. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.
℟. Et Sancti tui benedicant tibi.
℣. Exultabunt Sancti in Gloria.
℟. Letabuntur in cubilibus suis.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium : concede propitius ; ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere : ut cuncta nostra oratio, & operatio a te semper incipiat, & per te cæpta finiatur.

DA nobis, quæsumus Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere ; qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

TITULUS XIV.

ORDO MISSÆ, ET EJUSDEM RUBRICÆ EXPLICATIUS JUXTA POSITÆ.

HActenus Rubricæ Missæ Notis brevibus satis, ut opinor, sunt illustratæ. Quia tamen non omnibus placet, longiores ejusmodi explicationes perlegere, sed potius in compendio tam ipsum Missæ Ordinem, quam Rubricas juxta quamvis Missæ partem positas habere volent, ideo ut huic etiam desiderio faciam satis, facilioremque Instructionis, qua Sacerdotii Candidati in Cæremoniis Missæ instrui solent, praxin efficiam ; eumdem Ordinem cum Rubricis ex latere positis breviter etiam hic inserere placuit, uti & in fine notas pro certis Missæ partibus adjicere, ut iis, qui addiscere & Cantum & Cæremonias Missæ voluerint, & Missale non habuerint, hic libellus pro Missali servire queat.

Quia vero plerumque etiam Neomystæ primam Missam de SS. Trinitate legunt, aut canunt, ideo hanc etiam præ reliquis eligam, & pro Exemplari huc apponam; ex illa enim nunquam difficiliori facile etiam aliarum Missarum rite dicendarum praxis addiscetur.

PARS I.

A PRINCIPIO MISSÆ USQUE AD OFFERTORIUM.

1. IN nomine Patris, & 2. Filii, & Spiritus sancti, Amen.

1. Simul format signum Crucis a fronte ad pectus: posita sinistra infra pectus, quod semper fit, quoties se signat, quando vero aliud signat, ponit eamdem super Corporale (nisi aliud notetur)

2. Introibo ad Altare DEI. M. ℟. *meam.*

Judica me DEUS, & discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo & doloso erue me.

℟. *Inimicus.*

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. ℟. *meam.*

Confitebor tibi in cithara DEUS, DEUS meus: quare tristi es anima mea, & quare conturbas me? ℟. *DEUS meus.*

2. Junctis manibus ante pectus, clara voce totum Psalmum recitat alternatim cum Ministro.

Neque deinceps attendit, quid alibi agatur, etsi Sacramentum elevatur.

3. Gloria Patri, & Filio & Spiritui sancto.

℟. *Amen.*

Introibo ad Altare DEI. ℟. *meam.*

3. Caput Cruci inclinat.

4. ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. *terram.*

4. Dextra facit Crucem a fronte ad pectus.

5. Confiteor DEO omnipotenti, beatæ MARIÆ semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro & Paulo, omnibus Sanctis, & vobis Fratres, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere:

5. Altari profunde se inclinans, junctis manibus dicit *Confiteor*, quod prosequitur eodem modo stans inclinatus, donec a Ministro dictum sit: *Misereatur &c.*

6. mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam MARIAM semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, & vos Fratres, orare pro me ad Dominum DEUM nostrum.

6. Ter percutit pectus, sinistra infra pectus posita.

Min. Misereatur &c.
Sac. Amen.

7. *M.* Confiteor.

7. Cum Minister incipit *Confiteor* se erigit Sacerdos.

8. Misereatur vestri omnipotens DEUS, & dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. ℟. *Amen.*

8 Stans erectus junctis manibus dicit.

9. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus. ℟. *Amen.*

9. Signat se ad pectus a fronte.

10. DEUS tu conversus vivificabis nos. ℟. *in te.*
Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℟. *da nobis.*
Domine exaudi Orationem meam. ℟.

10. Stans inclinatus junctis manibus recitat clara voce usque ad Orationem: *Aufer a nobis &c.*

sumit unam particulam, quam inter pollicem & indicem tenet aliquantum elevatam super pyxidem seu Patenam, & conversus ad communicandos in medio Altaris, dicit: Ecce Agnus DEI, Ecce, qui tollit peccata mundi: *Deinde dicit, z.* Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea. *Quibus verbis tertio repetitis ad eorum dextram, hoc est, ad latus Epistolæ, vadit & unicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo signum Crucis super Pyxidem vel Patenam, & simul dicens:* Corpus Domini nostri JESU Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen. a. *Omnibus communicatis revertitur ad Altare nihil dicens* b. *Et non dat eis benedictionem, quia illam daturus est in fine Missæ* c. *Si particulæ positæ erant super Corporale, extergit illud cum Patena, &, si quæ in eo fuerint fragmenta, in Calicem immittit. Deinde dicit secreto,* Quod ore sumpsimus, Domine; *& se purificat dicens:* Corpus tuum Domine, quod sumpsi, *& alia facit, ut supra. Minister autem dextra manu tenens vas cum vino & aqua, sinistra vero mappulam, aliquanto post Sacerdotem eis porrigit Purificationem, & mappulam ad os abstergendum.*

Z. Vernacula lingua, si ii, qui communicandi sunt, non calleant latinam linguam.

A. Aliqui juxta sua Ritualia Diœcesana etiam addunt: *Pax tecum*, quod, etsi sit præter Rubricas, tolerari tamen potest, cum nihil indecentiæ in verbis illis appareat, sed potius apta sint pium sensum in animis communicantium generare.

B. Nisi aliqua Ritualia Diœcesana aliquid dicendum præcipiant, sicuti Augustanum Rituale jubet, ut Antiphona *O sacrum Convivium*, cum versiculo: *Panem de cælo* &c. atque Oratione, *DEUS qui nobis sub Sacramento mirabili* recitetur.

C. Ubi tamen iterum consuetudo loci observanda est; qualis est in Augustana Diœcesi, in qua Sacerdos jubetur post Communionem reponere Sacramentum in Tabernaculo; & deinde extenta manu dextra benedicere iis, qui communicarunt, dicens: *Benedictio DEI omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper. Amen.*

Aliqui

Aliqui tamen solo Sacramento, antequam illud in Tabernaculo ponant, dant benedictionem; quæ consuetudo ad Populi devotionem excitandam conformior videtur.

VII. Si in Altari remaneant particulæ in Calice, seu in alio vase usque ad finem Missæ, serventur ea, quæ in Feria quinta Cœnæ Domini præscribuntur circa finem Missæ. d.

D. Scilicet ut genuflectat, quandocumque accedit, vel recedit a medio Altaris, vel transit ante Sacramentum in pyxide vel alio vase reservatum.

VIII. In Missa solemni Diaconus stans retro post Celebrantem, cum in oratione Dominica dicitur, & dimitte nobis debita nostra, *facta ibidem genuflexione, vadit ad dextram Celebrantis, & Subdiaconus circa finem Orationis Dominicæ, facta item genuflexione, revertitur ad Altare, & stans in cornu Epistolæ porrigit Patenam Diacono qui eam discooperit, & Purificatorio abstergens dat Celebranti, illius manum osculando, & quando opus est, discooperit, & cooperit Calicem, & cum Celebrante adorat. Subdiaconus reddita Patena & deposito velo, quod ab humeris ejus pendebat, genuflectit, & descendit retro post Celebrantem* e. *& cum dicitur* Pax Domini, *iterum genuflectens accedit ad sinistram Celebrantis, & simul dicunt* Agnus DEI, f. *deinde facta ibidem Sacramento genuflexione, redit post Celebrantem. Diaconus vero a dextris genuflexus expectat pacem, & cum Celebrans osculatur Altare, ipse se erigens simul osculantur illud extra Corporale, & a Celebrante dicente:* Pax tecum, *complexus accipit pacem, sinistris genis sibi invicem appropinquantibus* g. *& ei respondet:* Et cum Spiritu tuo. *Postea iterum Sacramento in Altari adorato vertit se ad Subdiaconum retro post Celebrantem, & similiter dat ei pacem; Subdiaconus accepta pace a Diacono, & facta Altari genuflexione, comitatus ab Acolytho vadit ad Chorum, & dat pacem primo cujusque Ordinis, dignioribus prius, deinde minus dignis, & reversus ad Altare, facta genuflexione dat pacem Acolytho, qui ipsum comitaverat, qui & aliis Acolythis circa Altare dat pacem.* h. *Deinde Subdiaconus vadit ad dextram Celebrantis, & quando opus est, discooperit Calicem, accipit ampullam vini, & infundit, quando Celebrans vult purificare,* i. *Diaconus post datam pacem Subdiacono vadit ad librum, & dum Celebrans se commu-*

communicat, stant ipse & Subdiaconus profunde inclinati k. *versus Altare.*

E. In plano scilicet ante infimum gradum, nisi Altare multos haberet gradus, tum enim in penultimo post Celebrantem staret.

F. Ita tamen, ut simul etiam cum eodem pectus percutiant.

G. Et utroque brachio ab eo, qui dat pacem, super humeros posito, ut ordo Romanus habet; licet alicubi consuetudo sit, ut dextrum dumtaxat brachium super humeros, sinistrum infra illos ponat.

H. Nisi forte alicubi consuetudo sit, ut solus ille, qui pacem accepit, Ministro sibi proximo pacem tribuat.

I. Ad digitorum tamen ablutionem etiam aquam affundere debet, sicut ex iis, quæ n. 5. dicta sunt, colligitur.

K. Decet enim, ut, sicut Diaconus & Subdiaconus inferiores sunt Celebrante, ita etiam magis se humilient.

IX. In Missa Pontificali Assistens accipit, & defert pacem, ut in Cæremoniali habetur. l. *Si in Missa solemni fiat Communio, omnia serventur, ut supra, sed prius communicet Diaconum & Subdiaconum, deinde alios per ordinem, & Diaconus Purificationem eis ministret* m. *Interim a Choro cantatur Antiphona, quæ dicitur Communio.* n.

L. In quo tamen casu Gavantus p. 2. tit. 10. ait, Diaconum debere recipere pacem ante Clerum, & Subdiacono eam dare.

M. Nisi Patenam ex recepta alicubi consuetudine mento Communicantium supponere, & Celebrantem comitari debeat.

N. Aut alias cantiones de Sacramento, aut Christo.

TITULUS XI.

DE COMMUNIONE ET ORATIONIBUS POST COMMUNIONEM DICENDIS.

I. Celebrante purificato, dum Calicem collocat in Altari, liber Missalis defertur per Ministrum ad cornu Epistolæ, & collocatur, ut in Introitu, o. *Ipse autem Minister genu-*

genuflectit juxta cornu Evangelii , ut in principio Missæ. p. *Deinde Celebrans stans junctis manibus legit Antiphonam , quæ dicitur Communio* . q. *Qua lecta , junctis item manibus ante pectus vadit ad medium Altaris , & eo osculato , vertit se ad Populum a manu sinistra ad dexteram , & dicit* Dominus vobiscum , *& per eamdem viam redit ad librum , & dicit Orationem post Communionem , eisdem modo , numero , & ordine , ut supra dicta sunt Collectæ. Quibus finitis claudit librum* , r. *et jungens manus ante pectus revertitur ad medium Altaris , ubi eo osculato vertit se ad Populum & dicit , ut supra* Dominus vobiscum. *Quo dicto stans junctis manibus ante pectus versus Populum dicit , si dicendum est* , Ite , missa est , *& per eamdem viam revertitur ad Altare. Si vero non sit dicendum , dicto* Dominus vobiscum , *revertitur eodem modo per eamdem viam ad medium Altaris , ubi stans versus illud , junctis ante pectus manibus dicit* , Benedicamus Domino s. *In Missa autem Defunctorum eodem modo stans versus Altare dicit* , Requiescant in pace. t.

O. Sic nempe , ut Celebrantem recta versus Altare stantem respiciat.

P. Intellige quoad latus , non autem quoad locum ipsum genuflexionis; nam in principio Missæ in plano flectebat , nunc vero in primo gradu flectere solet juxta communem praxin Ministrorum.

Q. *Communio* dicitur ea Antiphona , quia olim sub Populi Communione cantabatur ad gratias DEO propter beneficium Communionis agendas; ipsæ vero Collectæ , quæ subjunguntur, *Postcommunio* vocantur in Missali , quia post Communionem peractam olim pro Communicatis dicebantur , iisque gratia a DEO petebatur , ut beneficium Communionis in salutem cederet ; unde nulla alia tunc benedictio dabatur , ut ex Micrologo notat Gavantus p. 1. tit. 13. *lit. I.*

R. Etsi Gavantus hic *lit. F.* manu dextra claudi librum velit , ita , ut pars libri clausa calicem respiciat ; communis tamen praxis est , ut quo commodius a Ministro accipi possit , sic claudatur , ut tergum libri Calicem respiciat.

S. Dicitur hoc *Benedicamus Domino* versus Altare , quia ibi proprie residet Dominus , qui laudatur ; & cui gratiæ aguntur.

T.Quæ

T. Quæ verba dicuntur pariter versus Altare, quia non ad populum præsentem, sed ad Defunctos absentes pertinent: Dicuntur autem in plurali, etiamsi pro unico tantum defuncto dicta sit Missa, uti notat Gavantus p. 1. tit. 13. *lit. O.*

II. In Quadragesima autem a Feria quarta Cinerum usque ad Feriam quartam Majoris Hebdomadæ, in Feriali Officio, postquam Celebrans dixit Orationes post Communionem, cum suis solitis conclusionibus, antequam dicat, Dominus vobiscum, *stans in eodem loco ante librum dicit* Oremus, Humiliate Capita vestra DEO, *caput inclinans, & extensis manibus subjungit eadem voce Orationem super Populum ibidem positam*, u. *qua finita osculatur Altare, & vertens se ad Populum dicit*, Dominus vobiscum, *& alia, ut supra.*

V. Cujus Orationis dicendæ hanc Rationem ex Micrologo reddit Gavantus hic *lit.* N. quod olim in fine Missæ Populo panis benedictus distribuebatur, quod quia in Quadragesima ob jejunium non licebat, pro pane dicta est alia Oratio super Populum. Sed hæc ratio probaret, etiam in aliis diebus jejuniorum similem Orationem dicendam fuisse, quod tamen constat non fieri, ideo rectius videtur dici, Ecclesiam hoc tempore hanc Orationem adjicere voluisse, ut nobis finem Quadragesimalis jejunii in memoriam revocaret, atque ad nosmetipsos coram DEO per pœnitentiam, & jejunium humiliandos excitaret.

III. In Missa solemni Diaconus defert librum x. *Missalis ad cornu Epistolæ, deinde vadit retro post Celebrantem. Subdiaconus vero vadit ad cornu Evangelii*, y. *ubi Calicem mundat, aptat cum Purificatorio, Patena & Palla cooperit, plicat Corporale, reponit in Bursam, & illam ponit super Calicem coopertum velo, quem collocat in Altari, vel super Credentia, ut prius: postea redit ad locum suum retro post Diaconum*, z. *qui cum dicit*, Ite, Missa est, *cum Celebrante vertit se ad Populum*, a. *& in Quadragesima dicto per Celebrantem* Oremus b. *Diaconus in cornu Epistolæ vertens se ad Populum, junctis manibus dicit, ut supra* Humiliate capita vestra DEO c. *quo dicto vertit se versus Altare a tergo Celebrantis, & Celebrans dicit Orationem super Populum.*

X. De-

X. Defert autem Diaconus librum clausum, quem deinde aperit, ubi legenda est Communio. Sed & genuflexionem non omittit, quando transit ante medium Altaris.

Y. Itidem cum genuflexione in medio Altaris, ita tamen, ut superiorem gradum Diacono transeunti cedat.

Z. Genuflectens tamen iterum, quando accedit ad medium Altaris.

A. Nonnihil tamen ad latus, ne tergum Celebranti obvertat.

B. Ad ultimam scilicet Orationem, prout in Missali notatur.

C. Ubi tamen, quando se vertit, non opus est, genuflexionem facere, ut ait Gavantus hic *lit. S.*

TITULUS XII.

DE BENEDICTIONE IN FINE MISSÆ, ET EVANGELIO S. JOANNIS.

I. DIcto Ite, Missa est, *vel* Benedicamus Domino, *ut supra, Celebrans ante medium Altaris stans junctis manibus super eo, & capite inclinato, dicit secreto* Placeat tibi sancta Trinitas, *quo dicto, extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum in medio osculatur: tum erigens se, adhuc stans versus illud, elevat ad Cælum oculos, & manus, quas extendit, & jungit; d. caputque Cruci inclinans dicit intelligibili voce,* Benedicat vos Omnipotens DEUS, *& junctis manibus, & demissis ad terram oculis; vertens se ad Populum a sinistro latere ad dextrum, extensa manu dextra, junctisque digitis, & manu sinistra infra pectus posita semel e. benedicit Populo dicens:* Pater, Filius, & Spiritus sanctus. ℞. Amen. *& in circulum perficiens f. accedit ad cornu Evangelii, ubi dicto* Dominus vobiscum, *&* ℞. Et cum spiritu tuo, *pollice dextro signans primum signo Crucis Altare, seu librum in principio Evangelii, g. deinde frontem & pectus, dicit* h. Initium S. Evangelii Secundum Joannem, *vel* Sequentia S. Evangelii, *ut dictum est in Rubricis generalibus, &* ℞. Gloria tibi Domine, *junctis manibus legit Evangelium* In principio, *vel aliud ut con-*

venit i. Cum dicit: Et Verbum Caro factum est, *genuflectit versus cornu Evangelii, & surgens prosequitur, ut prius. Quo finito, Minister stans a parte Epistolæ respondet* DEO gratias.

D. Extendit quidem elavando, jungit autem post elevationem.

E. Ad differentiam Episcoporum & Abbatum, qui ter benedicere solent.

F. Id est, non amplius ad medium Altaris rediens, sed ex integro se vertens.

G. Vel etiam ipsam Tabellam, si memoriæ suæ diffidens ex illa legit Evangelium.

H. Ita tamen, ut, dum Altare, vel librum, vel Tabellam signat, manum sinistram Altari; dum vero se signat, pectori apponat.

I. Id est, prout Festa & Feriæ occurrentes v. g. Dominicæ, Feriæ majores, & Vigiliæ requirunt.

II. Si Celebrans in Altari vertit faciem ad Populum, non vertit se, sed stans, ut erat, benedicit Populo, ut supra in medio Altaris: k. deinde accedit ad cornu Evangelii, & dicit Evangelium Sancti Joannis.

K. Puta, si Altare ad Orientem sit exstructum, ita ut, dum Celebrans versus Altare stat, Populum ante oculos habeat.

III. Si celebravit coram summo Pontifice, Cardinale, & Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in Provincia, Civitate, vel Diœcesi sua existente, Celebrans dicto: Placeat tibi SS. Trinitas, *dicit* Benedicat vos Omnipotens DEUS, *& convertens se ad Summum Pontificem genuflectit, ad Cardinalem vero, & Legatum, vel alium ex supradictis Prælatis, capite inclinato, quasi licentiam benedicendi petens prosequitur:* Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, *benedicens astantes a parte, ubi non adest Pontifex, Cardinalis, Legatus, aut Prælati prædicti. Si autem celebravit coram Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo extra eorum Provinciam, Civitatem, aut Diœcesin constitutis, eis absque alio respectu, ut cæteris, qui intersunt, more consueto benedicit.*

IV. Si autem celebravit pro defunctis, dicto: Placeat tibi SS. Trinitas, *ut supra & osculato Altari, accedit ad cornu Evan-*

Evangelii, & dicit Evangelium S. Joannis; prætermissa benedictione, quæ in Missis Defunctorum non datur.

V. Finito Evangelio in fine Missæ, si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinale, & Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo, convertit se ad illum, coram quo ex prædictis celebravit, & facit reverentiam convenientem, l. *Si non celebravit coram aliquo prædictorum, hujusmodi reverentia prætermittit.*

L. Modica scilicet genuflexione, vel profunda Corporis inclinatione, prout mos est in loco, in quo celebrat.

VI. Quibus omnibus absolutis, extinguuntur per Ministrum candelæ, m. *interim Sacerdos accipit sinistra Calicem, dextram ponens super Bursam, ne aliquid cadat, descendit ante infimum gradum Altaris;* n. *& ibi in medio vertens se ad illud, caput inclinat* o. *vel, si in eo est Tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectit, & facta reverentia, accipit Birretum a Ministro, caput cooperit, ac præcedente eodem Ministro, eodem modo quo venerat, redit ad Sacristiam, interim dicens Antiphonam* Trium Puerorum p. *& Canticum* Benedicite. *Si vero dimissurus sit Paramenta apud Altare, ubi celebravit, finito Evangelio prædicto ibidem illis se exuit, & dicit Antiphonam* Trium puerorum *cum Cantico* Benedicite, *& aliis Orationibus, ut suo loco ponuntur.*

M. Extingui deberent juxta Gavantus hic *lit. F.* primo in cornu Evangelii, deinde in cornu Epistolæ, ut Minister statim Missale cum Biretto Sacerdotis accipere possit: unde non bene faciunt Ministri, qui, dum Celebrans Evangelium legit, in cornu Epistolæ jam lumen extinguunt; nec enim lumina extingui debent ante finem Missæ; præstatque Sacerdotem expectare, quam aliquid non satis Rubricis conveniens agere.

N. Prius tamen etiam, dum ab Altaris medio discedit: Crucis reverentiam faciens.

O. Cum profunda ipsius etiam Corporis inclinatione, uti ex alibi dictis de inclinatione ante Altare colligitur.

P. Quam tamen in Festis duplicibus etiam ante Canticum integrum recitat.

VII. In Missa solemni Celebrans eadem voce & modo, quo in privatis Missis, semel tantum benedicit Populo, nisi sit

Episcopus, q. *& dicto Evangelio secundum Joannem*, *vel alio*, *ut supra*, *Ministrante Subdiacono librum*, r. *si opus est*, *discedit cum Ministris ordine & modo*, *quo venerat*.

Q. Aut Abbas, qui ad modum Episcoporum ter etiam benedicere solet.

R. Id est, ad cornu Evangelii deferente, & folia, si opus est, vertente: Diacono interea quasi medio inter Celebrantem & Subdiaconum, aliquantum tamen post Celebrantem, stante. Qui ambo ad benedictionem Celebrantis genuflectunt in supremo gradu ad bina latera Celebrantis, &, dum is benedictionem dat populo, etiam ipsi sibi Crucis signum formant.

VIII. Episcopus autem ter benedicit Populo, *etiam in Missis privatis*, *ut in Cæremoniali habetur*.

TITULUS XIII.

PRECES IN REGRESSU AB ALTARI SACERDOTIBUS DICENDÆ.

Antiph. Trium puerorum cantemus Hymnum; &c.

Canticum trium puerorum Dan. 3.

Benedicite omnia opera Domini Domino &c.

Psalm. 150. Laudate Dominum in Sanctis ejus.

Sumuntur ex Laudibus Dominicæ: *deinde repetitur*. *Ant.*

Trium puerorum cantemus Hymnum: quem cantabant Sancti in camino ignis benedicentes Dominum.

Quæ Antiphona in Festis Duplicibus tantum Duplicatur: *& in Missis*, *quæ ritu duplici id est*, *sub una Oratione* (*etiam pro defunctis*) *dicuntur*: *& tempore Paschali additur in fine* Alleluja.

Sacerdos dicit.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo. Amen.

℣. Confi-

℣. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.
℟. Et Sancti tui benedicant tibi.
℣. Exultabunt Sancti in Gloria.
℟. Letabuntur in cubilibus suis.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius; ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio, & operatio a te semper incipiat, & per te cæpta finiatur.

DA nobis, quæsumus Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere; qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

TITULUS XIV.

ORDO MISSÆ, ET EJUSDEM RUBRICÆ EXPLICATIUS JUXTA POSITÆ.

HActenus Rubricæ Missæ Notis brevibus satis, ut opinor, sunt illustratæ. Quia tamen non omnibus placet, longiores ejusmodi explicationes perlegere, sed potius in compendio tam ipsum Missæ Ordinem, quam Rubricas juxta quamvis Missæ partem positas habere volent, ideo ut huic etiam desiderio faciam satis, facilioremque Instructionis, qua Sacerdotii Candidati in Cæremoniis Missæ instrui solent, praxin efficiam; eumdem Ordinem cum Rubricis ex latere positis breviter etiam hic inserere placuit, uti & in fine notas pro certis Missæ partibus adjicere, ut iis, qui addiscere & Cantum & Cæremonias Missæ voluerint, & Missale non habuerint, hic libellus pro Missali servire queat.

Quia vero plerumque etiam Neomystæ primam Missam de SS. Trinitate legunt, aut canunt, ideo hanc etiam præ reliquis eligam, & pro Exemplari huc apponam; ex illa enim nunquam difficiliori facile etiam aliarum Missarum rite dicendarum praxis addiscetur.

PARS I.
A PRINCIPIO MISSÆ USQUE AD OFFERTORIUM.

1. IN nomine Patris, & 1. Filii, & Spiritus sancti, Amen.

2. Introibo ad Altare DEI. M. ℟. *meam.*

Judica me DEUS, & discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo & doloso erue me.

℟. *Inimicus.*

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. ℟. *meam.*

Confitebor tibi in cithara DEUS, DEUS meus: quare tristi es anima mea, & quare conturbas me? ℟. *DEUS meus.*

3. Gloria Patri, & Filio & Spiritui sancto.

℟. *Amen.*

Introibo ad Altare DEI. ℟. *meam.*

4. ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. *terram.*

1. Simul format signum Crucis a fronte ad pectus: posita sinistra infra pectus, quod semper fit, quoties se signat, quando vero aliud signat, ponit eamdem super Corporale (nisi aliud notetur)

2. Junctis manibus ante pectus, clara voce totum Psalmum recitat alternatim cum Ministro.

Neque deinceps attendit, quid alibi agatur, etsi Sacramentum elevatur.

3. Caput Cruci inclinat.

4. Dextra facit Crucem a fronte ad pectus.

5. Confiteor DEO omnipotenti, beatæ MARIÆ semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro & Paulo, omnibus Sanctis, & vobis Fratres, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere:

5. Altari profunde se inclinans, junctis manibus dicit *Confiteor*, quod prosequitur eodem modo stans inclinatus, donec a Ministro dictum sit: *Misereatur &c.*

6. mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam MARIAM semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, & vos Fratres, orare pro me ad Dominum DEUM nostrum.

6. Ter percutit pectus, sinistra infra pectus posita.

Min. Misereatur &c.

Sac. Amen.

7. *M.* Confiteor.

7. Cum Minister incipit *Confiteor* se erigit Sacerdos.

8. Misereatur vestri omnipotens DEUS, & dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. ℟. *Amen.*

8. Stans erectus junctis manibus dicit.

9. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus. ℟. *Amen.*

9. Signat se ad pectus a fronte.

10. DEUS tu conversus vivificabis nos. ℟. *in te.*

Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. *da nobis.*

Domine exaudi Orationem meam. ℟.

10. Stans inclinatus junctis manibus recitat clara voce usque ad Orationem: *Aufer a nobis &c.*

sumit unam particulam, quam inter pollicem & indicem tenet aliquantum elevatam super pyxidem seu Patenam, & conversus ad communicandos in medio Altaris, dicit: Ecce Agnus DEI, Ecce, qui tollit peccata mundi*: Deinde dicit, z.* Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea. *Quibus verbis tertio repetitis ad eorum dextram, hoc est, ad latus Epistolæ, vadit & unicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo signum Crucis super Pyxidem vel Patenam, & simul dicens:* Corpus Domini nostri JESU Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen. a. *Omnibus communicatis revertitur ad Altare nihil dicens* b. *Et non dat eis benedictionem, quia illam daturus est in fine Missæ* c. *Si particulæ positæ erant super Corporale, extergit illud cum Patena, &, si quæ in eo fuerint fragmenta, in Calicem immittit. Deinde dicit secreto,* Quod ore sumpsimus, Domine; *& se purificat dicens:* Corpus tuum Domine, quod sumpsi, *& alia facit, ut supra. Minister autem dextra manu tenens vas cum vino & aqua, sinistra vero mappulam, aliquanto post Sacerdotem eis porrigit Purificationem, & mappulam ad os abstergendum.*

Z. Vernacula lingua, si ii, qui communicandi sunt, non calleant latinam linguam.

A. Aliqui juxta sua Ritualia Diœcesana etiam addunt: *Pax tecum*, quod, etsi sit præter Rubricas, tolerari tamen potest, cum nihil indecentiæ in verbis illis appareat, sed potius apta sint pium sensum in animis communicantium generare.

B. Nisi aliqua Ritualia Diœcesana aliquid dicendum præcipiant, sicuti Augustanum Rituale jubet, ut Antiphona *O sacrum Convivium*, cum versiculo *: Panem de cælo &c.* atque Oratione, *DEUS qui nobis sub Sacramento mirabili* recitetur.

C. Ubi tamen iterum consuetudo loci observanda est; qualis est in Augustana Diœcesi, in qua Sacerdos jubetur post Communionem reponere Sacramentum in Tabernaculo; & deinde extenta manu dextra benedicere iis, qui communicarunt, dicens: *Benedictio DEI omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper Amen.*

Aliqui

Aliqui tamen solo Sacramento, antequam illud in Tabernaculo ponant, dant benedictionem; quæ consuetudo ad Populi devotionem excitandam conformior videtur.

VII. Si in Altari remaneant particulæ in Calice, seu in alio vase usque ad finem Missæ, serventur ea, quæ in Feria quinta Cœnæ Domini præscribuntur circa finem Missæ. d.

D. Scilicet ut genuflectat, quandocumque accedit, vel recedit a medio Altaris, vel transit ante Sacramentum in pyxide vel alio vase reservatum.

VIII. In Missa solemni Diaconus stans retro post Celebrantem, cum in oratione Dominica dicitur, & dimitte nobis debita nostra, *facta ibidem genuflexione, vadit ad dextram Celebrantis, & Subdiaconus circa finem Orationis Dominicæ, facta item genuflexione, revertitur ad Altare, & stans in cornu Epistolæ porrigit Patenam Diacono qui eam discooperit, & Purificatorio abstergens dat Celebranti, illius manum osculando, & quando opus est, discooperit, & cooperit Calicem, & cum Celebrante adorat. Subdiaconus reddita Patena & deposito velo, quod ab humeris ejus pendebat, genuflectit, & descendit retro post Celebrantem* e. *& cum dicitur* Pax Domini, *iterum genuflectens accedit ad sinistram Celebrantis, & simul dicunt* Agnus DEI, f. *deinde facta ibidem Sacramento genuflexione, redit post Celebrantem. Diaconus vero a dextris genuflexus expectat pacem, & cum Celebrans osculatur Altare, ipse se erigens simul osculantur illud extra Corporale, & a Celebrante dicente:* Pax tecum, *complexus accipit pacem, sinistris genis sibi invicem appropinquantibus* g. *& ei respondet:* Et cum Spiritu tuo. *Postea iterum Sacramento in Altari adorato vertit se ad Subdiaconum retro post Celebrantem, & similiter dat ei pacem; Subdiaconus accepta pace a Diacono, & facta Altari genuflexione, comitatus ab Acolytho vadit ad Chorum, & dat pacem primo cujusque Ordinis, dignioribus prius, deinde minus dignis, & reversus ad Altare, facta genuflexione dat pacem Acolytho, qui ipsum comitaverat, qui & aliis Acolythis circa Altare dat pacem.* h. *Deinde Subdiaconus vadit ad dextram Celebrantis, & quando opus est, discooperit Calicem, accipit ampullam vini, & infundit, quando Celebrans vult purificare,* i. *Diaconus post datam pacem Subdiacono vadit ad librum, & dum Celebrans se commu-*

communicat, stant ipse & Subdiaconus profunde inclinati ke versus Altare.

E. In plano scilicet ante infimum gradum, nisi Altare multos haberet gradus, tum enim in penultimo post Celebrantem staret.

F. Ita tamen, ut simul etiam cum eodem pectus percutiant.

G. Et utroque brachio ab eo, qui dat pacem, super humeros posito, ut ordo Romanus habet; licet alicubi consuetudo sit, ut dextrum dumtaxat brachium super humeros, sinistrum infra illos ponat.

H. Nisi forte alicubi consuetudo sit, ut solus ille, qui pacem accepit, Ministro sibi proximo pacem tribuat.

I. Ad digitorum tamen ablutionem etiam aquam affundere debet, sicut ex iis, quæ n. 5. dicta sunt, colligitur.

K. Decet enim, ut, sicut Diaconus & Subdiaconus inferiores sunt Celebrante, ita etiam magis se humilient.

IX. In Missa Pontificali Assistens accipit, & defert pacem, ut in Cæremoniali habetur. l. *Si in Missa solemni fiat Communio, omnia serventur, ut supra, sed prius communicet Diaconum & Subdiaconum, deinde alios per ordinem, & Diaconus Purificationem eis ministret* m. *Interim a Choro cantatur Antiphona, quæ dicitur Communio.* n.

L. In quo tamen casu Gavantus p. 2. tit. 10. ait, Diaconum debere recipere pacem ante Clerum, & Subdiacono eam dare.

M. Nisi Patenam ex recepta alicubi consuetudine mento Communicantium supponere, & Celebrantem comitari debeat.

N. Aut alias cantiones de Sacramento, aut Christo.

TITULUS XI.

DE COMMUNIONE ET ORATIONIBUS POST COMMUNIONEM DICENDIS.

I. Celebrante purificato, dum Calicem collocat in Altari, liber Missalis defertur per Ministrum ad cornu Epistolæ, & collocatur, ut in Introitu, o. *Ipse autem Minister genu-*

genuflectit juxta cornu Evangelii , ut in principio Missæ. p. *Deinde Celebrans stans junctis manibus legit Antiphonam , quæ dicitur Communio .* q. *Qua lecta , junctis item manibus ante pectus vadit ad medium Altaris , & eo osculato , vertit se ad Populum a manu sinistra ad dexteram , & dicit* Dominus vobiscum, *& per eamdem viam redit ad librum, & dicit Orationem post Communionem , eisdem modo , numero , & ordine , ut supra dictæ sunt Collectæ. Quibus finitis claudit librum ,* r. *et jungens manus ante pectus revertitur ad medium Altaris , ubi eo osculato vertit se ad Populum & dicit , ut supra* Dominus vobiscum. *Quo dicto stans junctis manibus ante pectus versus Populum dicit , si dicendum est ,* Ite , missa est , *& per eamdem viam revertitur ad Altare. Si vero non sit dicendum , dicto* Dominus vobiscum , *revertitur eodem modo per eamdem viam ad medium Altaris , ubi stans versus illud , junctis ante pectus manibus dicit ,* Benedicamus Domino s. *In Missa autem Defunctorum eodem modo stans versus Altare dicit* , Requiescant in pace. t.

O. Sic nempe , ut Celebrantem recta versus Altare stantem respiciat.

P. Intellige quoad latus , non autem quoad locum ipsum genuflexionis; nam in principio Missæ in plano flectebat , nunc vero in primo gradu flectere solet juxta communem praxin Ministrorum.

Q. Communio dicitur ea Antiphona , quia olim sub Populi Communione cantabatur ad gratias DEO propter beneficium Communionis agendas; ipsæ vero Collectæ , quæ subjunguntur, *Postcommunio* vocantur in Missali , quia post Communionem peractam olim pro Communicatis dicebantur , itsque gratia a DEO petebatur , ut beneficium Communionis in salutem cederet ; unde nulla alia tunc benedictio dabatur, ut ex Micrologo notat Gavantus p. 1. tit. 13. *lit. I.*

R. Etsi Gavantus hic *lit. F.* manu dextra claudi librum velit , ita , ut pars libri clausa calicem respiciat ; communis tamen praxis est, ut quo commodius a Ministro accipi possit, sic claudatur, ut tergum libri Calicem respiciat.

S. Dicitur hoc *Benedicamus Domino* versus Altare , quia ibi proprie residet Dominus , qui laudatur ; & cui gratiæ aguntur.

T.Quæ

T. Quæ verba dicuntur pariter versus Altare; quia non ad populum præsentem, sed ad Defunctos absentes pertinent: Dicuntur autem in plurali, etiamsi pro unico tantum defuncto dicta sit Missa, uti notat Gavantus p. 1. tit. 13. *lit. O.*

II. In Quadragesima autem a Feria quarta Cinerum usque ad Feriam quartam Majoris Hebdomadæ, in Feriali Officio, postquam Celebrans dixit Orationes post Communionem, cum suis solitis conclusionibus, antequam dicat, Dominus vobiscum, *stans in eodem loco ante librum dicit* Oremus, Humiliate Capita vestra DEO, *caput inclinans, & extensis manibus subjungit eadem voce Orationem super Populum ibidem positam*, u. *qua finita osculatur Altare, & vertens se ad Populum dicit*, Dominus vobiscum, *& alia, ut supra.*

V. Cujus Orationis dicendæ hanc Rationem ex Micrologo reddit Gavantus hic *lit. N.* quod olim in fine Missæ Populo panis benedictus distribuebatur, quod quia in Quadragesima ob jejunium non licebat, pro pane dicta est alia Oratio super Populum. Sed hæc ratio probaret, etiam in aliis diebus jejuniorum similem Orationem dicendam fuisse, quod tamen constat non fieri, ideo rectius videtur dici, Ecclesiam hoc tempore hanc Orationem adjicere voluisse, ut nobis finem Quadragesimalis jejunii in memoriam revocaret, atque ad nosmetipsos coram DEO per pœnitentiam, & jejunium humiliandos excitaret.

III. In Missa solemni Diaconus defert librum x. *Missalis ad cornu Epistolæ, deinde vadit retro post Celebrantem. Subdiaconus vero vadit ad cornu Evangelii*, y. *ubi Calicem mundat, aptat cum Purificatorio, Patena & Palla cooperit, plicat Corporale, reponit in Bursam, & illam ponit super Calicem coopertum velo, quem collocat in Altari, vel super Credentia, ut prius: postea redit ad locum suum retro post Diaconum*, z. *qui cum dicit*, Ite, Missa est, *cum Celebrante vertit se ad Populum*, a. *& in Quadragesima dicto per Celebrantem* Oremus b. *Diaconus in cornu Epistolæ vertens se ad Populum, junctis manibus dicit, ut supra* Humiliate capita vestra DEO c. *quo dicto vertit se versus Altare a tergo Celebrantis, & Celebrans dicit Orationem super Populum.*

X. De-

X. Defert autem Diaconus librum clausum, quem deinde aperit, ubi legenda est Communio. Sed & genuflexionem non omittit, quando transit ante medium Altaris.

Y. Itidem cum genuflexione in medio Altaris, ita tamen, ut superiorem gradum Diacono transeunti cedat.

Z. Genuflectens tamen iterum, quando accedit ad medium Altaris.

A. Nonnihil tamen ad latus, ne tergum Celebranti obvertat.

B. Ad ultimam scilicet Orationem, prout in Missali notatur.

C. Ubi tamen, quando se vertit, non opus est, genuflexionem facere, ut ait Gavantus hic *lit. S.*

TITULUS XII.

DE BENEDICTIONE IN FINE MISSÆ, ET EVANGELIO S. JOANNIS.

1. DIcto Ite, Missa est, *vel* Benedicamus Domino, *ut supra, Celebrans ante medium Altaris stans junctis manibus super eo, & capite inclinato, dicit secreto* Placeat tibi sancta Trinitas, *quo dicto, extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum in medio osculatur: tum erigens se, adhuc stans versus illud, elevat ad Cælum oculos, & manus, quas extendit, & jungit, d. caputque Cruci inclinans dicit intelligibili voce*, Benedicat vos Omnipotens DEUS, *& junctis manibus, & demissis ad terram oculis, vertens se ad Populum a sinistro latere ad dextrum, extensa manu dextra, junctisque digitis, & manu sinistra infra pectus posita semel e. benedicit Populo dicens:* Pater, Filius, & Spiritus sanctus. ℟. Amen. *& in circulum perficiens f. accedit ad cornu Evangelii, ubi dicto* Dominus vobiscum, *&* ℟. Et cum spiritu tuo, *pollice dextro signans primum signo Crucis Altare, seu librum in principio Evangelii, g. deinde frontem & pectus, dicit h.* Initium S. Evangelii Secundum Joannem, *vel* Sequentia S. Evangelii, *ut dictum est in Rubricis generalibus, &* ℟. Gloria tibi Domine, *junctis manibus legit Evangelium* In principio, *vel aliud ut con-*

venit in. Cum dicit : Et Verbum Caro factum est, *genuflectit versus cornu Evangelii, & surgens prosequitur, ut prius. Quo finito, Minister stans a parte Epistolæ respondet* DEO gratias.

D. Extendit quidem elavando, jungit autem post elevationem.

E. Ad differentiam Episcoporum & Abbatum, qui ter benedicere solent.

F. Id est, non amplius ad medium Altaris rediens, sed ex integro se vertens.

G. Vel etiam ipsam Tabellam, si memoriæ suæ diffidens ex illa legit Evangelium.

H. Ita tamen, ut, dum Altare, vel librum, vel Tabellam signat, manum sinistram Altari; dum vero se signat, pectori apponat.

I. Id est, prout Festa & Feriæ occurrentes v. g. Dominicæ, Feriæ majores, & Vigiliæ requirunt.

II. Si Celebrans in Altari vertit faciem ad Populum, non vertit se, sed stans, ut erat, benedicit Populo, ut supra in medio Altaris : k. deinde accedit ad cornu Evangelii, & dicit Evangelium Sancti Joannis.

K. Puta, si Altare ad Orientem sit exstructum, ita ut, dum Celebrans versus Altare stat, Populum ante oculos habeat.

III. Si celebravit coram summo Pontifice, Cardinale, & Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in Provincia, Civitate, vel Diœcesi sua existente, Celebrans dicto : Placeat tibi SS. Trinitas, *dicit* Benedicat vos Omnipotens DEUS, *& convertens se ad Summum Pontificem genuflectit, ad Cardinalem vero, & Legatum, vel alium ex supradictis Prælatis, capite inclinato, quasi licentiam benedicendi petens prosequitur :* Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, *benedicens astantes a parte, ubi non adest Pontifex, Cardinalis, Legatus, aut Prælati prædicti. Si autem celebravit coram Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo extra eorum Provinciam, Civitatem, aut Diœcesin constitutis, eis absque alio respectu, ut cæteris, qui intersunt, more consueto benedicit.*

IV. Si autem celebravit pro defunctis, dicto : Placeat tibi SS. Trinitas, *ut supra & osculato Altari, accedit ad cornu*

Evan-

Evangelii, & dicit Evangelium S. Joannis; prætermissa benedictione, quæ in Missis Defunctorum non datur.

V. Finito Evangelio in fine Missæ, si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinale, & Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo, convertit se ad illum, coram quo ex prædictis celebravit, & facit reverentiam convenientem, l. *Si non celebravit coram aliquo prædictorum, hujusmodi reverentia prætermittit.*

L. Modica scilicet genuflexione, vel profunda Corporis inclinatione, prout mos est in loco, in quo celebrat.

VI. Quibus omnibus absolutis, extinguuntur per Ministrum candelæ, m. *interim Sacerdos accipit sinistra Calicem, dextram ponens super Bursam, ne aliquid cadat, descendit ante infimum gradum Altaris,* n. *& ibi in medio vertens se ad illud, caput inclinat* o. *vel, si in eo est Tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectit, & facta reverentia, accipit Birretum a Ministro, caput cooperit, ac præcedente eodem Ministro, eodem modo quo venerat, redit ad Sacristiam, interim dicens Antiphonam* Trium Puerorum p. *& Canticum* Benedicite. *Si vero dimissurus sit Paramenta apud Altare, ubi celebravit, finito Evangelio prædicto ibidem illis se exuit, & dicit Antiphonam* Trium puerorum *cum Cantico* Benedicite, *& aliis Orationibus, ut suo loco ponuntur.*

M. Extingui deberent juxta Gavantus hic *lit. F.* primo in cornu Evangelii, deinde in cornu Epistolæ, ut Minister statim Missale cum Biretto Sacerdotis accipere possit: unde non bene faciunt Ministri, qui, dum Celebrans Evangelium legit, in cornu Epistolæ jam lumen extinguunt; nec enim lumina extingui debent ante finem Missæ; præstatque Sacerdotem expectare, quam aliquid non satis Rubricis conveniens agere.

N. Prius tamen etiam, dum ab Altaris medio discedit: Crucis reverentiam faciens.

O. Cum profunda ipsius etiam Corporis inclinatione, uti ex alibi dictis de inclinatione ante Altare colligitur.

P. Quam tamen in Festis duplicibus etiam ante Canticum integrum recitat.

VII. In Missa solemni Celebrans eadem voce & modo, quo in privatis Missis, semel tantum benedicit Populo, nisi sit

Episcopus, q. *& dicto Evangelio secundum Joannem*, *vel alio*, *ut supra*, *Ministrante Subdiacono librum*, r. *si opus est*, *discedit cum Ministris ordine & modo*, *quo venerat.*

Q. Aut Abbas, qui ad modum Episcoporum ter etiam benedicere solet.

R. Id est, ad cornu Evangelii deferente, & folia, si opus est, vertente: Diacono interea quasi medio inter Celebrantem & Subdiaconum, aliquantum tamen post Celebrantem, stante. Qui ambo ad benedictionem Celebrantis genuflectunt in supremo gradu ad bina latera Celebrantis, &, dum is benedictionem dat populo, etiam ipsi sibi Crucis signum formant.

VIII. Episcopus autem ter benedicit Populo, *etiam in Missis privatis*, *ut in Cæremoniali habetur.*

TITULUS XIII.

PRECES IN REGRESSU AB ALTARI SACERDOTIBUS DICENDÆ.

Antiph. Trium puerorum cantemus Hymnum; &c.

Canticum trium puerorum Dan. 3.

Benedicite omnia opera Domini Domino &c.

Psalm. 150. Laudate Dominum in Sanctis ejus.

Sumuntur ex Laudibus Dominicæ: *deinde repetitur*. *Ant.*

Trium puerorum cantemus Hymnum: quem cantabant Sancti in camino ignis benedicentes Dominum.

Quæ Antiphona in Festis Duplicibus tantum Duplicatur: *& in Missis*, *quæ ritu duplici id est*, *sub una Oratione* (*etiam pro defunctis*) *dicuntur*: *& tempore Paschali additur in fine* Alleluja.

Sacerdos dicit.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo. Amen.

℣. Confi-

℣. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.
℟. Et Sancti tui benedicant tibi.
℣. Exultabunt Sancti in Gloria.
℟. Letabuntur in cubilibus suis.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium : concede propitius ; ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere : ut cuncta nostra oratio, & operatio a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

DA nobis, quæsumus Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere ; qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

TITULUS XIV.

ORDO MISSÆ, ET EJUSDEM RUBRICÆ EXPLICATIUS JUXTA POSITÆ.

HActenus Rubricæ Missæ Notis brevibus satis, ut opinor, sunt illustratæ. Quia tamen non omnibus placet, longiores ejusmodi explicationes perlegere, sed potius in compendio tam ipsum Missæ Ordinem, quam Rubricas juxta quamvis Missæ partem positas habere volent, ideo ut huic etiam desiderio faciam satis, facilioremque Instructionis, qua Sacerdotii Candidati in Cæremoniis Missæ instrui solent, praxin efficiam ; eumdem Ordinem cum Rubricis ex latere positis breviter etiam hic inserere placuit, uti & in fine notas pro certis Missæ partibus adjicere, ut iis, qui addiscere & Cantum & Cæremonias Missæ voluerint, & Missale non habuerint, hic libellus pro Missali servire queat.

5. Confiteor DEO omnipotenti, beatæ MARIÆ semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro & Paulo, omnibus Sanctis, & vobis Fratres, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere:

5. Altari profunde se inclinans, junctis manibus dicit *Confiteor*, quod prosequitur eodem modo stans inclinatus, donec a Ministro dictum sit: *Misereatur &c.*

6. mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam MARIAM semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, & vos Fratres, orare pro me ad Dominum DEUM nostrum.

6. Ter percutit pectus, sinistra infra pectus posita.

Min. Misereatur &c.

Sac. Amen.

7. *M.* Confiteor.

7. Cum Minister incipit *Confiteor* se erigit Sacerdos.

8. Misereatur vestri omnipotens DEUS, & dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. ℟. *Amen.*

8 Stans erectus junctis manibus dicit.

9. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus. ℟. *Amen.*

9. Signat se ad pectus a fronte.

10. DEUS tu conversus vivificabis nos. ℟. *in te.*

Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. *da nobis.*

Domine exaudi Orationem meam. ℟.

10. Stans inclinatus junctis manibus recitat clara voce usque ad Orationem: *Aufer a nobis &c.*

℟. ad te veniat.
Dominus vobiscum.
℟. spiritu tuo.

11. Oremus.

11. Extendit & jungit manus, ac clara voce dicit.

12. Aufer a nobis, quæsumus Domine, iniquitates nostras: ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

12. Dum dicit secreto *Aufer &c.* junctis manibus ascendit ad medium Altaris.

13. Oramus te Domine, per merita Sanctorum tuorum.

13. Inclinatus manibus junctis super Altare, ita, ut parvi digiti solum Antipendii superiorem partem tangant, pollice dextro super sinistram posito, (quæ omnia observantur semper, quoties manus junctæ super Altare ponuntur) dicit *Oremus.*

14. Quorum Reliquiæ hic sunt, & omnium Sanctorum: ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

14. Osculatur Altare in medio, manibus extensis æqualiter hinc inde super eo positis.

INTROITUS.

15. Benedicta sit Sancta Trinitas, atque indivisa Unitas: Confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

PSALMUS.

Domine Dominus noster: quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

15. Stans in cornu Epistolæ versus Altare, incipit Introitum intelligibili voce, simul signat se a fronte ad pectus, & junctis manibus prosequitur, ac ad nomen *Trinitas* caput inclinat.

16. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, &

16. Tenens junctas manus, caput inclinat versus Crucem.

& semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

17. Benedicta sit Sancta Trinitas, atque indivisa Unitas: Confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

17. Hic non se signat, ut prius; quo finito junctis manibus accedit ad medium Altaris.

18. Kyrie eleison.

18. In medio manibus junctis intelligibili voce Sacerdos dicit: *Kyrie eleison, Christe eleison*, id est, bis *Kyrie eleison*, *semel Christe eleison*, & iterum bis *Kyrie eleison*, alternatim.

19. Gloria in excelsis.

19. Intelligibili voce dicit, extendens, elevansque manus usque ad humeros.

20. DEO.

20. Cum DEO dicit, jungit manus, & caput Cruci inclinat.

21. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, laudamus te; benedicimus te.

21. Erecto capite manibus junctis ante pectus usque ad finem prosequitur.

22. Adoramus te, glorificamus te.

22. Cum hæc dicit, caput Cruci inclinat.

22. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Domine DEUS, Rex cœlestis, DEUS Pater Omnipotens, Domine Fili unigenite.

22. Iterum.

22. JESU Christe. Domine DEUS, Agnus DEI, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram.

22. Iterum

22. Qui sedes ad dexteram Pa-

22. Rursus.

Patris, miſerere nobis. Quoniam Tu ſolus Sanctus; Tu ſolus Dominus; Tu ſolus Altiſſimus,

22. Iterum.

23. JESU Chriſte, 23. Cum S. † Spiritu, in gloria DEI Patris, Amen.

23. A fronte ſe ſignat ad pectus, interim abſolvit *in gloria DEI Patris. Amen.*

Deinde oſculatur Altare, tum manibus junctis ante pectus demiſſis oculis vertens ſe a ſiniſtro latere ad dextrum verſus Populum &

24. Dominus vobiſcum.

24. Extendens ac jungens manus ante pectus voce intelligibili dicit; deinde junctis manibus per eamdem viam revertitur ad librum.

25. Oremus.

25. Extendens ac jungens manus ante pectus, caput cruci inclinans dicit, *Oremus.*

26. Omnipotens ſempiterne DEUS, qui dediſti Famulis tuis in confeſſione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia Majeſtatis adorare Unitatem; quæſumus, ut ejuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur adverſis. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

26. Tum extendit manus ante pectus, ita, ut palma unius manus reſpiciat alteram, & digitis ſimul junctis, quorum ſummitas humerorum altitudinem, diſtantiamque non excedat (quod in omni extenſione manuum ante pectus ſervatur) & recitat Orationem, & ad nomen Trinitatis caput inclinat.

27. Per Dominum noſtrum.

27. Cum dicit *per Dominum*, jungit manus, & tenet junctas uſque ad finem, quod ſi non dicatur *per Dominum*, ſed *qui vivis & regnas*, tunc jungit, cum dicit in *unitate.*

28. JESUM.

28. Cum nomen JESU dicitur, inclinat caput versus Crucem, quod etiam fit, cum id legit in Epiſtola, & ubicumque nominatur nomen MARIÆ vel SS. de quibus dicitur Miſſa, vel fit commemoratio, item cum fit Oratio pro Papa ad nomen ejus ſemper inclinat caput, non tamen verſus Crucem.

Epiſtola.

29. Lectio Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli ad Romanos.

O Altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ DEI, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus? quis enim cognovit ſenſum Domini: aut quis Conſiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Ipſi honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

M. ℟. DEO gratias.

Graduale.

Benedictus es Domine, qui intueris abyſſos, & ſedes ſuper Cherubin.

Verſus.

Benedictus es, Domine, in firmamento cæli, & laudabilis in ſæcula, Alleluja, Alleluja.

Verſus.

Benedictus es Domine

DEUS

29. Cum dicit intelligibili voce Epiſtolam & Graduale, poteſt ponere manus ad arbitrium vel ſuper librum, vel ſuper Altare ita, ut palmæ librum tangant; vel ut placuerit, librum tenens.

DEUS Patrum nostrorum, & laudabilis in sæcula, Alleluja.

30. Munda cor meum, ac labia mea, Omnipotens DEUS, qui labia Isaiæ Prophetæ calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum Amen.

Jube Domine benedicere.

Dominus sit in corde meo, & labiis meis, ut digne & competenter annuntiem Evangelium suum:

31. Amen.

32. Dominus vobiscum.

33. Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

34. In illo tempore, dixit JESUS Discipulis suis; Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes Gentes, batizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis. Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad Consummationem sæculi.

35.

30. Lecto Graduali, redit junctis manibus ad medium, ibi stans junctis manibus ante pectus, elevatisque ad DEUM oculis, & statim demissis, dicit secreto: *Munda &c. Jube Domine &c.* manus non ponit super Altare, & dicit profunde inclinatus.

31. His omnibus absolutis vadit ad cornu Evangelii stans.

32. Versus librum juncts manibus dicit intelligibili voce.

33. Deinde pollice dextræ manus signat Cruce initium Evangelii, postea se, in fronte, ore, pectore, dicens: *Sequentia* vel *Initium &c.*

34. Junctis manibus iterum ante pectus stans prosequitur Evangelium usque ad finem, in quo, si occurrit nomen JESU, caput semper inclinat versus librum, & ita genuflectit versus librum, si necesse sit (etiam præsente Venerabili).

35. Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta.

35. Post dictum Evangelium, elevat parum librum, & osculatur principium Evangelii, dicens secreto: *Per Evangelica &c.* (excepta Missa Defunctorum, & præsente Episcopo in sua residentia)

36. Credo in unum DEUM.

36. Stans in medio elevat, & extendit manus, & inclinat caput Cruci.

37. Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum

37. Prosequitur junctis manibus, erecto capite.

38. JESUM Christum, Filium DEI Unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, DEUM de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis.

38. Caput Cruci inclinat,

39. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex MARIA Virgine: Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas, & ascendit in cœlum: sedet ad dextram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem: qui ex Patre, Filioque pro-

39. Genuflectit usque ad *Homo factus est* inclusive.

procedit. Qui cum Patre & Filio simul

40. ADORATUR, & conglorificatur : qui locutus est per Prophetas ; Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, & vitam 41. venturi sæculi.

40. Inclinat caput Cruci.

41. Signat se Cruce a fronte ad pectus.

P A R S II.
AB OFFERTORIO USQUE AD ORATIONEM DOMINICAM.

42. Dominus vobiscum.

42. Post Credo (vel Evangelium, si non sit credo) osculatur in medio Altare : & junctis manibus ante pectus vertit se ad populum, & extendit junctas manus, dicens *Dominus vobiscum*.

43. Oremus.

43. Junctis manibus revertitur per eamdem viam, ad medium Altaris, ubi extendens & jungens manus, caputque Cruci inclinans dicit, *Oremus*.

44. Benedictus sit DEUS Pater, Unigenitusque DEI Filius, Sanctus quoque Spiritus : quia fecit nobiscum misericordiam suam.

44. Junctis manibus eodem situ dicit Offertorium.

45. Suscipe, sancte Pater omnipotens æterne DEUS, hanc Immaculatam Hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi DEO meo, vi-

45. Oculis ad Deum elevatis, statim demissis dicitur : *Suscipe &c.* si plures Hostiæ sint consecrandæ, intentionem faciat, etiam ad illas offerendas & consecrandas.

vivo, & vero, pro innumerabilibus peccatis, & offensionibus, & negligentiis meis & pro omnibus circumstantibus; 46. sed & pro omnibus fidelibus Christianis vivis, atque defunctis, ut mihi & illis proficiat ad salutem in vitam æternam. Amen.

46. Quo dicto Patenam, utraque manu tenens cum ea facit Crucem super Corporale, & deponit Hostiam circa medium anterioris partis Corporalis, patenam vero ad dextram aliquantulum subtus Corporale, deinde facta competente reverentia, accedens ad cornu Epistolæ accipit Calicem, Purificatorio extergit. & sinistra tenens illius nodum (& simul pollice ejusdem manus Purificatorium, ita accommodatum, ut deflua ejus pars pedem Calicis, contra casuras forte ex ampullis guttas, ut ne aspergatur, communiat) accipit ampullam de manu Ministri, & infundit vinum in Calicem.

47. DEUS, qui humanæ substantiæ dignitatē mirabiliter condidisti, & mirabilius reformasti: da nobis per hujus aquæ & vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps JESUS Christus, Filius tuus Dominus noster: Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti DEUS: Per omnia sæcula &c.

47. Deinde eodem modo tenens Calicem producit signum Crucis super ampullam aquæ, & dicit: *DEUS qui humanæ &c.* & ad verba: *Da nobis per hujus aquæ &c.* parum aquæ infundit, & guttas in Calice, si opus sit, extergit, ac Calicem in cornu Epistolæ versus medium Altaris sistit, & Purificatorium, quo interim usus est, componit, ut patenam tegat. In Missa Defunctorum omittit benedictionem aquæ, & tantum recitat Orationem.

48. Offerimus tibi, Domine, Calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam ut in conspectu divinæ Majestatis tuæ pro nostra, & totius mundi salute, cum odore suavitatis ascendat, Amen.

49. In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur a te, Domine: & sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine DEUS.

50. Veni Sanctificator omnipotens æterne DEUS, & bene ✝ dic hoc Sacrificium tuo sancto Nomini præparatum.

51. Lavabo inter innocentes manus meas: & circumdabo Altare tuum Domine.

Ut audiam vocem laudis & enarrem universa mirabili tua.

Domine dilexi decorem domus tuæ & locum habitationis gloriæ tuæ.

48. Imposita aqua in Calice, & finita Oratione prædicta, reversus ad medium Altaris, facta reverentia, ut prius, accipit Calicem, & dextra nodum illius infra cuppam, sinistra pedem tenens elevat, & intentis ad Deum oculis dicit, *Offerimus* & in fine dicta hac Oratione facit Crucem cum Calice, & in medio corporali post Hostiam collocat, ac Palla cooperit.

49. Deinde junctis manibus super Altare positis, aliquantulum inclinatus, dicit secreto, *In Spiritu*.

50. Erectus extendit manus, easque in altum porrectas jungens ante pectus (quod semper facit, quando aliquid est benedicturus) elevatis ad cælum oculis, & statim demissis, dicit: *Veni Sanctificator &c.* Et cum dicit; *Benedic.* facit manu dextra signum Crucis, communiter super Hostiam & Calicem, sinistra posita super Altare.

51. Tum junctis manibus ante pectus, & facta prius convenienti reverentia, accedit ad cornu Epistolæ, ubi stans lavat extremitates pollicis & indicis, utriusque manus, dicens interea Psalmum *Lavabo*.

Ne

Ne perdas cum impiis animam meam : & cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt : dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum : redime me, & miserere mei.

Pes meus stetit in directo : in Ecclesiis benedicam te, Domine.

52. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, &c.

52. Ad *Gloria Patri* (quod omittitur in Missis Defunctorum, & in Missis de tempore a Dominica Passionis, usque ad Sabbatum Sanctum exclusive) inclinat caput Cruci; dici etiam potest, cum reditur ad medium Altaris.

53. Suscipe Sancta TRINITAS hanc oblationem, quã tibi offerimus ob memoriam Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis JESU Christi Domini nostri : & in honorẽ B. MARIÆ semper Virginis, & beati Joannis Baptistæ, & sanctorum Apostolorum, Petri & Pauli; & istorum & omnium Sanctorũ, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem : & illi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam agimus in terris. Per Christum Dominum &c.

53. Lotis & extersis manibus, easdem ante pectus junctas tenens revertitur ad medium Altaris ubi facta competente reverentia, stans, oculosque ad DEUM elevans, ac statim demittens manibus junctis super Altare, aliquantulum inclinatus dicit secreto : *Suscipe &c.*

54. Orate Fratres: ut meum ac vestrum Sacrificium, accepta-

54. Finita Oratione prædicta, manibus hinc inde exten-

ptabile fiat apud DEUM Patrem omnipotentem.

Min. Suscipiat &c.

Sac. Amen.

sis,& super Altare positis,osculatur illud in medio: tum junctis manibus ante pectus, demissisq; oculis ad terram, a sinistra manu ad dextram vertit se ad Populum, & versus eum extendens & jungens manus dicit voce aliquantulum elevata: *Orate Fratres*:& secreto absolvens perficit circulum, (nisi prostet Venerabile)& revertens junctis manibus ante pectus a manu dextra ad medium Altaris: ubi Minister suam Orationem absolverit, respondet, *Amen.*

55.

55. Dicit ex libro Orationes secretas, manibus extensis, submissa voce, sine *Oremus*, aut alia interpositione.

56. Per Dominum nostrum JESUM Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti DEUS.

56. Cum dicit *Per Dominum*, jungit manus: cum dicit *JESUM Christum*, caput inclinat, quod fit in prima, & si sint plures, in ultima etiam Oratione.

57. Per omnia sæcula sæculorum.

57. Ubi in ultima Oratione Secreta pervenerit ad verba: *Per omnia sæcula* exclusive, depositis super Altare manibus hinc inde extensis, dicit convenienti & intelligibili voce, *Per omnia sæcula &c.*

58. Dominus vobiscum

58. Deinde subjungit, eodem modo tenens manus, *Dominus vobiscum.*

59. Sursum corda.

59. Cum dicit *sursum corda*, elevat manus hinc inde extensas usque ad pectus, ita ut palma unius respiciat palmam alterius manus.

60. Gratias agamus Domino.

61. DEO nostro.

62. Vere dignum & justum est &c.

63. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth, pleni sunt cæli & terra gloria tua, Osanna in excelsis.

64. Benedictus qui venit, in nomine Domini. Osanna in excelsis.

65. Te igitur Clementissime Pater per JESUM Christum Filium tuum, Dominum nostrum, supplices rogamus.

66. Ac petimus.

67. Ut accepta habeas & benedicas.

68. Hæc † dona, hæc † munera, hæc † sancta Sacrificia illibata.

69. In primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum.

70. Una cum famulo tuo Papa nostro N.

60. Ad *Gratias agimus &c.* jungit manus.

61. Ad DEO *nostro* etiam oculos elevat; & statim Cruci caput inclinat.

62. Elevatis & extensis, ut prius, manibus, prosequitur Præfationem pro tempore convenientem.

63. Dicit junctis manibus ante pectus, & inclinatus (non super Altare manibus positis) voce mediocri prosequitur usque ad Canonem.

64. Erigit se, & signum Crucis sibi producit a fronte ad pectus.

65. Elevat aliquantulum manus, oculisque ad DEUM elevatis ac statim demissis, manibusque junctis super Altare positis, profunde inclinatus incipit Canonem secreto dicens *Te igitur &c.*

66 Post hæc verba osculatur Altare in medio.

67. Erigit se, jungit manus ante pectus.

68. Dextra ter signat super Hostiam & Calicem communiter, &

69. Extensis manibus ante pectus prosequitur.

70. Exprimit nomen Papæ, & caput inclinat. Sede autem vacante hæc verba omittuntur.

71. Et Antistite nostro N. & omnibus Orthodoxis, atq; Catolicæ & Apostolicæ Fidei cultoribus.

71. Exprimit nomen Ordinarii seu Episcopi illius loci, in quo celebratur. Qui si vita functus est, ea verba omittuntur.

72. Memento Domine famulorum, famularumque tuarum.

72. Cum dicit *Memento*(quæ vox uti & reliqua secreto dicenda est) elevans & jungens manus usque ad faciem, vel pectus, sic paulisper stat in quiete, demisso aliquantulum capite, faciens commemorationem vivorum ad suam voluntatem, vel singulariter rememorans (mente secreto nominans, vel communiter uno contextu ipsorum vivorum commemorationem faciens, pro quibus ante Missam orare proposuit.

73. Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus: vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ: tibique reddunt vota sua æterno DEO, vivo & vero.

73. Finito *Memento* demissis & extensis, ut prius, manibus, continuat Orationem secreto.

74. Communicantes, & memoriam venerantes, inprimis gloriosæ semper Virginis MARIÆ.

74. Silentio stans prosequitur.

75. Genitricis DEI, & Domini nostri JESU Christi.

75. Caput inclinat.

76. Sed & beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum.

76. Caput Cruci inclinat.

77. Petri & Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Ja-cobi

77. Ad nomina Sanctorum qui hic, & infra n. 1 1 6. recen-sen-

cobi & Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Thadæi: Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis & Pauli, Cosmæ & Damiani, & omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis, precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio.

sentur, cum pronunciat, caput inclinat, eo die, quo vel eorum facta est Commemoratio specialis, vel de iis Missa celebratur; etiam per Octavas. Gavant. p. 2. tit. 5. n. 2.

78. Per eumdem Christum &c.

78. Conjungens manus.

79. Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ; quæsumus Domine, ut placatus accipias: diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari.

79. Expandit manus simul super oblata, ita, ut Palmæ sint apertæ versus, ac super Calicem & Hostiam, quas sic tenet pollice dextro super sinistrum posito usque ad *Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

80. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

80. Jungit manus, & prosequitur.

Quam oblationem tu DEUS in omnibus quæsumus.

81. Bene † dictam adscri † ptam, ra † tam, rationabilem: acceptabilemque facere digneris.

81. Communiter signat ter super Hostiam & Calicem.

82. Ut nobis cor † pus,

82. Separatim signat semel super Hostiam tantum.

83. Et San † guis fiat.

83. Et semel super Calicem tantum.

84. Dilectissimi filii tui Domini nostri.

84. Elevans & jungens manus.

85. JESU CHRISTI.

85. Inclinat caput Cruci.

86. Qui pridie, quam pateretur,

86. Extergit, si opus fuerit, pollices & indices super Corporale.

87. Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas.

87. Accipit pollice & indice dextræ Hostiam, & eam cum illis, ac indice, & pollice sinistræ manus tenens, stans rectus.

88. Et elevatis oculis in cælum ad te, DEUM Patrem suum omnipotentem, tibi.

88. Elevat ad cælum oculos, & statim demittit.

89. Gratias agens,

89. Caput aliquantulum inclinat.

90. Bene†dixit, fregit, deditq; discipulis suis, dicens: Accipite & mãducate ex hoc omnes.

90. Tenens Hostiam inter pollicem & indicem sinistræ, dextra producit signum Crucis super ea. Si adsit vas cum aliis Hostiis consecrandis, discooperit prius dextra vas illud. Cum finierit supradicta verba.

91. Hoc est enim Corpus meum.

91. Cubitis super Altare positis, stans capite inclinato, tenens Hostiam inter pollices & indices utriusque manus, manibus inferne conjunctis, reliquis manuum digitis extensis, & simul quoque junctis, distincte, reverenter, & secreto profert verba consecrationis super Hostiam, & simul super omnes, si plures sint consecrandæ. Prolatis verbis genuflexus adorat, & se erigens, elevat cum decenti mora in altum Hostiam (intentis in eam oculis) ut commode videri a populo & adorari queat; peracta elevatione, sola dextra deinde repositam Hostiam super Corporale, genuflexus iterum adorat.

92.

92. Deinceps pollices & indices non disjungit, nisi quando Hostiam consecratam attingere debet.

93.

93. Accipiens & hunc præclarum Calicem, in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi.

94. Gratias agens.

95. Bene † dixit, deditque Discipulis suis: dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes.

96. Hic est enim Calix Sanguinis mei novi & æterni Testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

97. Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

98. Unde & memores, Domine, nos servi tui, sed & plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui Domini nostri, tam beatæ Passionis, nec non & ab inferis Resurrectionis, sed & in cœlos gloriosæ Ascensionis.

93. Ambabus manibus accipit Calicem juxta nodum, infra cuppam, & aliquanlulum illum elevans, ac statim deponens.

94. Caput inclinat.

95. Sinistra Calicem infra cuppam tenens dextra signat super eum, & prosequitur, *deditque &c.*

96. Tenens sinistra pedem Calicis parum elevatum, dextra nodum infra cuppam, cubitis super Altare positis, & capite inclinato profert verba consecrationis attente, continuate & secreto. Quibus dictis reponit Calicem super Corporale.

97. Dicit secreto: *Hæc quotiescumque &c.* & interea genuflexus adorat S. Sanguinem reverenter; tum se erigit, & accipiens Calicem discoopertum cum S. Sanguine ambabus manibus, ut prius, elevat eum, & erectum, quantum commode potest, ostendit populo adorandum, intentis in eum oculis: mox ipsum reverenter reponit super Corporale in locum pristinum, & manu dextra Palla cooperit, ac genuflexus Sacramentum adorat.

98. Extensis manibus ante pectus dicit secreto. *Unde &c.*

99. Offerimus præclaræ Majeſtati tuæ de tuis donis ac datis.

100. Hoſtiam † puram, Hoſtiam † ſanctam, Hoſtiam † immaculatam.

101. Panem † ſanctum vitæ æternæ.

102. Et Calicem † ſalutis perpetuæ.

103. Supra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris: & accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui juſti Abel, & Sacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ: & quod tibi obtulit ſummus Sacerdos tuus Melchiſedech, ſanctum Sacrificium, immaculatam Hoſtiam.

104. Supplices te rogamus, omnipotens DEUS jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime Altare tuũ, in conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ: ut quotquot.

105. Ex hac Altaris participatione,

106. Sacroſanctum Filii tui.

107. Cor † pus, &

108. San † guinem ſumpſerimus,

109. Omni benedictione cæleſti.

110. Et gratia repleamur.

99. Jungit manus.

100. Manu ſiniſtra poſita ſuper Altare intra Corporale, dextra ſignat ter communiter ſupra Hoſtiam & Calicem.

101. Semel ſuper Hoſtiam tantum ſignat.

102. ſemel ſuper Calicem tantum.

103. Stans ut prius, extenſis manibus proſequitur.

104. Profunde inclinatus, junctis manibus; & ſuper Altare poſitis dicit *Supplices &c.*

105. Oſculatur Altare manibus hinc inde ſuper Corporale poſitis.

106. Jungit manus.

107. Dextra ſignat ſemel ſuper Hoſtiam tantum.

108. Semel ſuper Calicem, ſiniſtra ſuper Corporale poſita.

109. Seipſum ſignat a fronte ad Pectus ſigno Crucis, ſiniſtra poſita infra pectus.

110. Proſequitur *&* *gratia &c.*

111. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

112. Memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum N. & N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.

113. Ipsis, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis & pacis, ut indulgeas, deprecamur.

114. Per eumdem &c.

115. Nobis quoque peccatoribus.

116. Famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam, & societatem donare digneris, cum tuis sanctis Apostolis & Martyribus, cum Joanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anastasia, & omnibus Sanctis tuis: intra quo-

111. Jungit manus.

112. Secreto iterum vox *Memento* cum reliquis dicenda: & extensis & junctis manibus ante pectus, & usque ad faciem elevatis, & intentis oculis ad Sacramentum super Altare, facit commemorationem fidelium defunctorum, de quibus sibi videtur, eodem modo, capite aliquantulum inclinato, (Gerlac.) ut dictum est de commemoratione vivorum. Manus autem primum junguntur post verba, *in somno pacis*: post quæ etiam fit pausa, pro memoria Defunctorum habenda.

113. Commemoratione facta, stans erectus, ut prius, extensis manibus iterum prosequitur *ipsis*.

114. Jungit manus, & caput inclinat.

115. Vocem aliquantulum elevat, & dextra manu sibi pectus percutit, sinistra posita super Corporale.

116. Prosequitur *famulis &c.* stans manibus extensis.

quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte.

117. Per Christum Dominum nostrum.
Per quē hæc omnia, Domine, semper bona creas,

118. Sancti † ficas, vivi † ficas, bene †dicis.

119. Et præstas nobis.

120. Per ip† sum, & cum ip † so, & in ip † so.

121. Est tibi DEO Patri † omnipotenti, in unitate Spiri† tus † Sancti,

122. Omnis honor & gloria.

117. Jungit manus ante pectus.

118. Signat communiter ter super Hostiam & Calicem.

119. Discooperit manu dextra Calicem, & genuflexus Sacramentum adorat: tum se erigit, & reverenter accipit Hostiam inter pollicem, & indicem dextræ manus, & cum, ea super Calicem, quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam.

120. Signat ter a labio ad labium, Calicem tamen Hostia non contingat, dicens: *Per ipsum &c.*

121. Et similiter cum Hostia signat bis inter Calicem & pectus, incipiens a labio Calicis; & dicit: *est tibi &c.*

122. Tenens manu dextra Hostiam super Calicem, elevat eum aliquantulum simul cum Hostia dicens: *omnis honor &c.* Et statim utrumque deponens, Hostiam collocat super Corporale, & si opus sit, digitos extergit, ut supra; ac pollices, indices, ut prius jungens, Calicem Palla cooperit, & genuflexus Sacramentum adorat.

PARS

PARS III. AB ORATIONE DOMINICA *USQUE AD FINEM.*

123. Per omnia sæcula sæculorum.

123. Cooperto Calice, adoratoque Sacramento, erigit se, & manibus extensis hinc inde super Altare intra Corporale positis, dicit intelligibili voce: *per omnia &c.*

124. Oremus. Præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati audemus dicere:

124. Jungit manus, caput Sacramento inclinans, cum dicit: *Oremus.*

125. Pater noster, &c. in tentationem. *Min.* Sed libera nos a malo.

125. Extendit manus, & stans oculis ad Sacramentum intentis, prosequitur usque ad finem. Cum dicit, *ne nos inducas &c.* non jungit manus; sed sinistra super Corporale posita, &

126. Amen.

126. Dicto *Amen*, submissa voce, manu dextra, pollice & indice non disjunctis, Patenam aliquantulum Purificatorio extergens, eam accipit (si tamen facile tolli non queat sinistra manus subsidio esse poterit, alias non adhibenda) inter indicem & medium digitos: quam tenens super Altare erectam.

127. Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris: & intercedente Beata & gloriosa Virgine DEI Genitrice MARIA.

127. Sinistra super Corporale posita, dicit secreto, *Libera.*

128. Cum beatis Apostolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea, & omnibus Sanctis.

128. Elevat manu dextra Patenam de Altari, & seipsum cum ea signare incipit ad ea

verba: *cum beatis Apostolis &c.* cum se signat; manum sinistram ponit infra pectus: deinde Patenam ipsam osculatur.

129. Da propitius pacem in diebus nostris.

129. Dicens: *Da propitius.*

130. Ut ope misericordiæ tuæ adjuti, & a peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.

130 Submittit Patenam Hostiæ, quam indice sinistro accommodat super Patenam super Corporale positam, &, ut communis mos est, partim pedi Calicis innixam, ut postea & partes Hostiæ, & Patena ipsa, commodius accipi possint; nec fragmenta a tergo Patenæ adhæreant: discooperit Calicem, & genuflexus Sacramentum adorat: tum se erigens, accipit Hostiam inter pollicem, & indicem dextra manu, & cum illis, ac pollice & indice sinistræ manus eam super Calicem tenens.

131. Per eumdem Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum.

131. Reverenter frangit per medium a superiori parte incipiens, & dicens: *per eumdem &c.* Et mediam partem, quæ inter pollicem & indicem dextræ manus tenet, ponit super Patenam.

132. Qui tecum vivit, & regnat.

132. Ex parte, quæ in sinistra remansit, frangit particulam inferius, dicens: *qui tecum &c.*

133. In unitate Spiritus sancti DEUS,

133. Partem majorem, quā sinistra tenet, adjungit mediæ super patenam positæ, interim dicens: *in Unitate &c.*

134. Per omnia sæcula sæculorum. ℞. Amen.

134. Particulam Hostiæ præcisam, quam in dextra

135. ma-

manu retinuit, tenens ſuper Calicem, quem ſiniſtra per nodum infra cuppam retinet, intelligibili voce dicit: *Per omnia &c.*

135. Pax†Domini ſit† ſemper vo†biſcum.

135. Cum ipſa particula ſignat ter a labio ad labium dicens: *Pax Domini.*

136. *Miniſt.* Et cum ſpiritu tuo.

136. Ad Reſponſum Miniſtri particulam, quam dextra manu tenet, immittit in Calicem, dicens ſecreto:

137. Hæc commixtio & conſecratio Corporis & Sanguinis Domini noſtri JESU Chriſti, fiat accipientibus nobis in vitam æternam, Amen.

137. *Hæc commixtio, &c.* Deinde pollices & indices ſuper Calicem aliquantulum tergit & jungit, Calicem Palla cooperit, & genuflexus Sacramentum adorat, ſurgit,

138. Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,

138. Et ſtans junctis manibus ante pectus, inclinatus (juxta ordinem Miſſæ) verſus Sacramentum, dicit intelligibili voce *Agnus DEI.*

139. Miſerere nobis.

139. Dextra percutiens ſibi pectus, ſiniſtra ſuper Corporale poſita. Quin etiam dextra, dum repetatur percuſſio pectoris, non in aere hæreat, ſed ſuper Corporale identidem modeſte reponatur. Quod idem in ſimili poſtea ad *Domine non ſum dignus*, iterum fiat.

140. Agnus DEI, qui tollis peccata mundi.

140. Non jungit manus.

141. Miſerere nobis.

141. Sed iterum percutit pectus ſibi.

142. Agnus DEI qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

142. Iterum tertio percutit. In Miſſis Defunctorum omittatur percuſſio pectoris: & manus interim ante pectus

143. Domine JESU Christe, qui dixisti Apostolis tuis: pacem relinquo vobis, pacem meã do vobis: ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ, eamq; secundum voluntatem tuam pacificare & coadunare digneris. Qui vivis & regnas DEUS, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

144. Domine JESU Christe, Fili DEI vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc Sacrosanctum Corpus, & Sanguinem tuum, ab omnibus iniquitatibus meis, & universis malis: & fac me tuis semper inhærere mandatis, & a te numquam separari permittas: qui cum eodem DEO Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas DEUS in sæcula sæculorum. Amen. Perceptio Corporis tui Domine JESU Christe, quod ego indignus sumere præsumo, non mihi proveniat in judicium, & condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis & corporis, & ad medelam

lam

junctæ tenentur, non impositæ Altari. Et loco *Miserere nobis*, dicitur. *Dona eis requiem*; & tertia vice addit *Sempiternam*; quæ dum dicit, manus junctas Altari non imponit, sed ante pectus tenet.

143. Manibus junctis super Altare positis, oculisque ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit secreto: *Domine JESU Christe.*

144. Si danda sit pax, osculatur hic Altare, & dat pacem, dicens: *Pax tecum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

In Missis Defunctorum non datur Pax, neque dicitur præcedens Oratio.

Si est daturus Pacem, osculatur Altare in medio, & instrumentum Pacis ei porrectum a Ministro juxta ipsum ad dextrum, hoc est, in cornu Epistolæ genuflexo, & dicit *Pax tecum.* Si non adsit, qui hujusmodi instrumento Pacem recipit a Celebrante, Pax non datur, etiamsi illius datio Missæ conveniat: nec osculatur Altare, sed dicta præmissa Oratione, statim subjungit alias hic præscriptas.

Iam percipiendam. Qui vivis & regnas cum DEO Patre, in unitate Spiritus Sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum.

145. Amen.

145. Quibus Orationibus dictis genuflectens Sacramentum adorat, & se erigens,

146. Panem cælestem accipiam, & nomen Domini invocabo.

146. Secreto dicit: *Panem &c.* quo dicto, dextra manu accipit de Patena reverenter ambas partes Hostiæ, & collocat inter pollicem & indicem sinistræ manus, quibus Patenam inter eumdem indicem & medium digitos supponit, & eadem manu sinistra tenens partes hujusmodi super Patenam inter Calicem, & pectus parum inclinatus: non tamen cubitum sinistrum Altari imponens, sed suspensum inter pectus & Calicem tenens.

147. Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo & sanabitur anima mea 2. Domine, non sum &c. 3. Domine, non sum dignus &c.

147. Dicit voce aliquantulum elata tribus vicibus: *Domine non sum dignus &c.* non retrahens pedem reverentiæ causa, aut genu curvans, dextra tribus vicibus percutit pectus suum.

148. Anima &c.

148. Ex sinistra accipit ambas partes prædictas Hostiæ inter pollicem & indicem dextræ manus.

149. Corpus Domini nostri JESU Christi, custodiat animam meam in vitam æternam.

149. Et cum illa supra Patenam signat seipsum signo Crucis, (nondum a Rubrica erigere se jussus) ita tamen, ut Hostia non egrediatur Pa-

tenæ limites immotæ, dicens: *Corpus Domini &c.*

150. Amen.

150. Se inclinans nunc profundius, quam antea, medii corporis inclinatione, & cubitis super Altare positis, reverenter easdem ambas partes sumit: quibus sumptis deponit Patenam super Corporale, ut supra n. 130. & erigens se junctis indicibus & pollicibus, ambas quoq; manus ante faciem jungit, & aliquantulum quiescit (non inclinato capite) in meditatione SS. Sacramenti.

151. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?

151. Deinde depositis manibus dicit secreto: *quid retribuam &c.* & interim discooperit Calicem, genuflectit, surgit, accipit Patenam, inspicit Corporale, colligit fragmenta cum Patena, si quæ sunt in eo, Patenam quoque diligenter cum pollice & indice dextræ manus super Calicem extergit, & ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat.

Si vero adsint Hostiæ consecratæ super Corporale positæ pro alio tempore conservandæ, facta prius genuflexione reponit eas in vas ad hoc ordinatum, & diligenter advertit, ne aliquod fragmentum, quantumcunque minimum, remaneat super Corporale: quod si fuerit, accurate reponit in Calicem.

152. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invo-

152. Post extersionem Patenæ, junctis pollicibus & in-

vocabo : Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.

indicibus Calicem dextra manu infra nodum cuppæ accipit, sinistra Patenam dicens : *Calicem &c.*

153. Sanguis Domini nostri JESU Christi, custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

153. Signans se signo Crucis cum Calice dicit : *Sanguis Domini &c.* & manu sinistra supponens Patenam Calici, stans reverenter sumit totum sanguinem cum particula in Calice posita.

154. Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus : & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

154. Sumpto S. Sanguine dicit secreto : *Quod ore sumpsimus.* Et super Altare (nisi Ministri parva statura aliud exigat) porrigit Calicem Ministro in cornu Epistolæ, vinum infundente, quo se purificat, supponens iterum Patenam Calici.

155. Corpus tuum Domine, quod sumpsi, & Sanguis, quem potavi, adhæreat visceribus meis : & præsta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura & sancta refecerunt Sacramenta. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum.

155. Deinde vino & aqua, interim dicens : *Corpus tuum &c.* (manens in medio Altaris, non accedens ad cornu Epistolæ, juxta *Gerlac. & Arnaudum* : aut certe in abitu & reditu, faciens competentem reverentiam vel Cruci, vel SS. Sacramento) abluit pollices & indices super Calicem, quos abstergit Purificatorio:

156. Amen.

156. Ablutionem sumit, sinistra supponens Purificatorium Calici, & extergit os, & Calicem Purificatorio : quo facto, Purificatorium extendit super Calicem & desuper Patenam, ac super Patenam parvam Pallam, & cooperit Calicem

cem velo ac utraque manu adhibita, sinistra ad nodum, dextra super Calicem, removet eum in sinistrum latus, ut plicari queat Corporale: tum dextra manu recipitur Bursa, quæ post insertū Corporale ita Calici imponitur, ut ejus apertura antrorsum, non ad latus respiciat: deinde acceptum denuo circa nodum sinistra manu Calicem dextra desuper posita, collocat in medio Altaris, & velum aptat, ut, sicuti in principio Missæ, totus Calix lateat.

Communio.

157. Benedicamus Deum cæli, & coram omnibus viventibus confitebimur ei: quia fecit nobiscum misericordiam suam.

157. Facit Cruci profundam reverentiam, & a medio ad cornu Epistolæ accedens stans manibus junctis, legit Communionem: *Ecce Virgo &c.* qua lecta junctis item manibus ante pectus vadit ad medium Altaris, & eo osculato vertit se ad Populum a manu sinistra ad dextram, &

158. Dominus vobiscum.

158. Dicit *Dominus &c.* & per eamdem viam redit ad librum.

Postcommunio.

159. Oremus. Proficiat nobis ad salutem corporis & animæ, Domine DEUS noster, hujus Sacramenti susceptio, & sempiternæ sanctæ Trinitatis, ejusdemq; individuæ Unitatis confessio. Per Dominum &c.

159. Dicit: *Oremus*: & ut supra Orationes eodem ordine, numero & modo, uti dictæ sunt collectæ.

160. sæcula sæculorum.

160 Claudit librum, & jungens manus ante pectus, revertitur ad medium Altaris, eoque osculato.

161. Dominus vobiscum.

161. Vertit se, ut supra, & dicit: *Dominus vobiscum*, quo

di-

dicto stans, junctis manibus versus Populum.

162. Ite Missa est. Vel

162. Dicens, si dicendum est, *Ite*, & per eamdem viam revertitur ad Altare. Si vero non sit dicendum, revertitur eodem modo per eamdem viam ad medium Altaris.

163. Benedicamus Domino. vel

163. Ubi stans versus illud junctis ad pectus manibus dicit: *Benedicamus.*

164. Requiescant in pace.

164. In Missis Defunctorum eodem modo stans versus Altare dicit: *Requiescant.*

In Quadragesima autem a Feria 4. Cinerum usque ad Feriam. 4. majoris hebdomadæ, in feriali Officio, postquam Celebrans dixit Orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus antequam dicat; *Dominus vobiscum*; stans in eodem loco ante librum dicit: *Oremus*; *humiliate capita vestra* DEO: caput inclinans Cruci, & extensis manibus subjungit eadem voce; Orationem super Populum ibidem positam: qua finita osculatur Altare, & vertens se ad Populum dicit: *Dominus vobiscum*, & alia, ut supra.

165. Placeat tibi sancta TRINITAS obsequium servitutis meæ, & præsta: ut Sacrificium, quod oculis tuæ Majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique & omnibus, pro quibus illud obtu-

165. Ante medium Altaris junctis manibus super eo, & capite inclinato dicit secreto, *Placeat &c.*

obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum.

166. Amen.

166. Osculatur Altare, & elevatis oculis extendens, elevans, & jungens manus dicit: *Benedicat.*

167. Benedicat vos omnipotens DEUS,

167. Caput Cruci inclinat, & versus ad Populum, semel tantum benedicens, etiam in Missis solemnibus,

168. Pater, & Filius, † & Spiritus Sanctus, Amen.

168. Prosequitur: *Pater, & Filius &c.* vertens se dextrorsum ad cornu Evangelii, si non prostet Venerabile.

In Missis defunctorum omittitur benedictio, & dicto *Placeat*, osculatur Altare, & statim.

169. Dominus vobiscum.

169. Accedit ad cornu Evangelii dicens: *Dominus &c.*

170. Initium S. Evangelii secundum Joannem. In principio erat &c.

170. Signat Altare (sed tantum, si Venerabile non prostat) vel librum, & se, ut supra in Evangelio primo.

171. ET VERBUM CARO FACTUM EST. *Minister.* Deo gratias.

171. Genuflectit.

Finito Evangelio, rediens ad medium Altaris facit competentem, vel Cruci, vel SS.Sacramento ibidem reverentiam, & disposito Calice eum accipiens, infra infimum gradum Altaris descendit, & vel profunde se Cruci iterum inclinat, aut coram SS. Sacramento genuflectit, discedensque ab Altari Sacristiam versus, pro gratiarum actione dicit Antiph. *Trium puerorum, &c.*

TI-

TITULUS XV.
DE TONO IN HYMNO ANGELICO, SYMBOLO, PRÆFATIONE, ORATIONE DOMINICA, ET CLAUSULA MISSÆ ADHIBENDO.

ETsi de Tono in Missa adhibendo p. 2. tit. 33. fusius sit actum: quia tamen ibidem quoad Tonos hoc Titulo expressos, Neomystas ad Missale remiseram, hoc autem ab iisdem difficulter interdum haberi potest; ideo, ut hoc etiam subsidio non careant, placuit illos quoque Tonos hoc loco breviter exprimere.

§. I.
TONUS IN HYMNO ANGELICO ADHIBENDUS In Duplicibus, & solemnibus diebus.




In Missis Beatæ MARIÆ.



In Dominicis, Festis Semiduplicibus, & infra Octavas, quæ non sunt B. Mariæ.



In Festis Simplicibus.



Glo ria in ex cel sis DEO.

§. II.

TONUS IN SYMBOLO USURPANDUS.



Credo in unum DEUM.

§. III.

TONUS IN PRÆFATIONE ADHIBENDUS.

Varii quidem Toni pro Præfatione in Missali præscribuntur, pro diversitate scilicet Festorum; sed quia omnes quoad principales cadentias, ut vocant, conveniunt; ideo satis erit, si unus hoc loco inseratur, & ille quidem, qui fere difficillimus est, & a Neomystis plerumque usurpari solet.

Hæc Præfatio cum suo Cantu dicitur in Festis Sanctissimæ Trinitatis.



Per o mni a sæ cu la sæ cu lo-

rum.



rum. ℟. Amen. ℣. Dominus



vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu




tuo. ℣. Sur ſum corda. ℟. Ha-




bemus ad Dominum. ℣. Gra-



tias agamus Domino DEO



no ſtro. ℟. Dignum & juſtum eſt.



Vere dignum & juſtum eſt,



æquum & ſa lu ta re nos ti-




bi ſemper & u bi que gra ti as



a ge re, Domine ſanƈte, Pater

o-



omnipotens, æ ter ne DEUS:



Qui cum u ni ge ni to Fi li o tuo,



& Spiritu ſancto, unus es DEUS,



u nus es Do minus. Non in



uni us ſingulari ta te per ſo næ, ſed



in uni us Trini ta te ſubſtan ti æ.



Quod enim de tu a glo ri a reve-



lante te credimus, hoc de Fi lio



tu o, hoc de Spiri tu ſan cto, ſi-




ne differentia diſcreti o nis ſen-

timus.



timus. Ut in confeſſi o ne veræ



ſempiternæque De i ta tis, & in



perſonis pro pri e tas, & in eſ ſen-



tia u ni tas, & in majeſtate ad-



o re tur æ qua litas. Quam laudant

An-



Angeli atque Arch an ge li, Che-



rubim quoque ac Se ra phim,



qui non ceſſant clamare quo-




ti di e, una vo ce di cen tes.

§. IV.


§. IV.

TONUS PRO ORATIONE DOMINICA.

Licet & hic duo Toni, unus Festivus, & alter Ferialis præscribantur in Missali; quia tamen etiam hi modice differunt, pariter sufficiet, unum dumtaxat ex illis inserere.











for-




for mati au de mus di ce re.



Pater noſter qui es in cælis.



Sanctificetur nomen tuum. Adveniat



regnum tuum. Fiat voluntas tua,




ſicut in cæ lo & in ter ra.




Panem noſtrum quotidianum da nobis



hodie. Et dimitte nobis debita



noſtra, ſicut & nos di mittimus




debitoribus noſtris. Et ne nos



indu cas in ten ta ti o nem.


℟. Sed



℟. Sed li be ra nos a ma lo.



Per o m ni a ſæ cu la ſæ cu lo-



rum. ℟. Amen.



Pax † Domini ſit † ſemper vobiſ†cum.



Et cum ſpi ri tu tuo.

§. V.

§. V.

TONUS ET CLAUSULA MISSÆ ADHIBENDUS.

Tempore Paschali, hoc est, a Missa Sabbati Sancti usque ad Sabbatum in Albis inclusive.



I te Missa est, Al le lu ja,



Al le lu ja.

In Festis Solemnibus:



I te e



e e

V e Missa



e Mis sa est.

In Festis Duplicibus.



I te e




e Missa est.

In Missis Beatæ MARIÆ.



I te e Missa est.

In Dominicis, infra annum, in Festis Semiduplicibus & infra Octavas, quæ non sunt B. MARIÆ.



I te e


Mis-




In Feſtis Simplicibus.




In Dominicis Adventus & Quadrageſimæ.



In Feriis.



In Miſſa Vigiliæ Nativitatis Domini, & in Feſto ſanctorum Innocentum.





In Missis Defunctorum.



CONCLUSIO TOTIUS INSTRUCTIONIS.

Atque hæc fere sunt, quæ ad propositum huic instructioni finem explicanda videbantur. Quia tamen ea non semper ad manum haberi potest, & aliunde non parum juvat, si ea, quæ variis in locis non nisi sparsim sunt indicata, sub uno aspectu collecta proponantur; ideo operæ pretium visum est, ut sequentes Tabulæ ordinem Missæ non tam pro Festis & Feriis, quam pro votivis clare & methodice exhibentes, ad calcem hujus Instructionis insererentur, ita tamen, ut etiam separari ab eadem, & si placuerit, per distincta folia Breviario imponi, aut alio modo servire queant.

TABULÆ DIRECTIVÆ PRO SS. MISSÆ OFFICIO CELEBRADO.

In Dominicis per Annum.

Tempus.	Color.	Missa.	Gloria	Credo.	Præfatio.	Benedictio.	Orationes.
Adventus.	Viol.	Prop.	Omit:	Dicitur.	Communis.	Benedicamus.	2. Deus, qui 3. Ecclef. vel pro Papa.
Ab 8. Epiphaniæ.	Virid.	Prop.	Dicitur.	Dicitur.	Communis.	Ite.	2. Deus, qui falutis. 3. Ecc. v. Pap.
à Septuagesima.	Viol.	Prop.	Omit:	Dicitur.	Communis.	Benedicamus.	2. A cunctis. 3. ad libitum.
A die Cinerum.	Viol.	Prop.	Omit:	Dicitur.	Quadrages.	Benedicamus.	2. A cunctis. 3. pro vivis, & Defunct.
A Dominica Paffionis.	Viol.	Prop.	Omit:	Dicitur.	De Cruce.	Benedicamus.	2. Ecclef. vel pro Papa.
Ab 8. Pafchatis.	Alb.	Prop.	Dicitur.	Dicitur.	Pafchalis	Ite.	2. Concede. 3. Ecclef. vel pro Papa.
Ab Octa. Pent.	Virid.	Prop.	Dicitur.	Dicitur.	Communis.	Ite.	2. A cunctis. 3. ad Libitum.

In Feriis.

Adventus.	Viol.	Dominicalis.	Omit	Omit:	Communis.	Benedicamus.	Dominicales.
Ab 8. Epiphaniæ.	Virid.	Dominicalis.	Omit.	Omit:	Communis.	Benedicamus.	Dominicales.
à Septuagesima.	Viol.	Dominicalis.	Omit.	Omit:	Communis.	Benedicamus.	Dominicales.
à Die Cin.	Viol.	Prop.	Omit.	Omit:	Quadrag.	Benedicamus.	1. Prop. 2. & 3. Dom.
à Domin. Paffionis.	Viol.	Prop.	Omit.	Omit:	De Cruce.	Benedicamus.	1. Prop. 2. Ecclef. vel pro Papa.

Ab Octa. Paschatis.	Alb.	Dominicalis.	Dicitur.	Omitt.	Paschalis.	Ite.	Dominicales.
Ab Octa. Pentecost.	Virid.	Dominicalis.	Omitt.	Omitt.	Communis.	Benedicamus.	Dominicales.

In Duplicibus.

Tempus.	Color.	Missa.	Gloria	Credo.	Præfatio.	Benedicamus.	Orationes.
Adventus.	Ru- Al-	Pro-	Sem-	Ut	Pro-	Ite.	2. Feriæ.
Ab 8. Epiphaniæ.	ber bus	pri-	pe-	nota-	pri-	Ite.	Unica.
A Septuagesima.	pro pro	a	r	tur	a,	Ite.	Unica.
A die Cinerum.	Mar- non	vel	di-	C.II.	vel	Ite, Evangel. Feriæ.	2. Feriæ.
A Dominica Passionis.	ty- Mar-	Com-	ci-	Ru-	Do-	Ite, Evangel. Feriæ.	2. Feriæ.
Ab 8. Paschatis.	ri- tyri-	mu-	tu-	bri-	mi-	Ite.	Unica.
Ab Octa. Pent.	bus.	nis.	r.	catum.	nicæ.	Ite.	Unica.

In Semiduplicibus.

Adventus.	Ru- Al-	Pro-	Sem-	Ut	Pro-	Ite.	2. Feriæ. 3. Deus, qui
Ab 8. Epiphaniæ.	ber, bus	pri-	pe-	nota-	pri-	Ite.	2. & 3. Domin.
A Septuagesima.	pro pro	a,	r,	tur,	a,	Ite.	2. & 3. Domin.
A Die Cinerum.	Mar- non	vel	di-	C.II.	vel	Ite, Evangel. Feriæ.	2. Feriæ. 3. A cunct.

A Do-

A Dominica Passion.	Mar- ty-	Com-	ce-	Ru-	Do-	Ite, Evāgel. Feriæ.	2. Feriæ. 3. Eccl. ve pro Papa.
Ab Octa. Paschatis.	tyri- ri-	mu-	te-	bri-	mini-	Ite.	2. & 3. Domin.
Ab Octa. Pentecost.	bus.	nis.	r.	carum.	cæ.	Ite.	2. & 3. Domin.


In Simplicibus.

Tempus.	Color.	Missa.	Gloria.	Credo.	Præfatio.	Benedictio.	Orationes.
Adventus.	Ce-	di-	t.	Fe-	ri-	æ.	2. de Sancto 3. Deus, qui
Ab Octa. Epiphaniæ.	Alb. vel Rub.	Prop. vel com.	Dicitur.	Omit:	Communis.	Ite.	2. & 3. Dominicales.
A Septuagesima.	Alb. vel Rub.	Prop. vel com.	Dicitur.	Omit:	Communis.	Ite.	2. & 3. Dominicales.
A die Cinerum.	Ce-	di-	t.	Fe-	ri-	æ.	2. de Sancto 3. a cunctis.
A Dom. Passion.	Ce-	di-	t.	Fe-	ri-	æ.	2. de Sancto tantum.
Ab Octa. Pasch.	Alb. vel Rub.	Prop. vel com.	Dicitur.	Omit:	Paschalis.	Ite.	2. & 3. Dominicales.
Ab Octa. Pentec.	Alb. vel Rub.	Prop. vel com.	Dicitur.	Omit:	Communis.	Ite.	2. & 3. Dominicales.

In Missis Votivis.

Votiva.	Color.	Missa.	Gloria	Credo	Præfatio.	Benedictio.	Orationes.
SS. Trin.	Albus.	Propria.	Omit:	Omittitur.	Propria.	Benedicamus.	2. & 3. diei currentis.
S. Spiritus.	Ruber	Propria.	Omit:	Omittitur.	Propria.	Benedicamus.	2. & 3. diei currentis.

SS. Eucharist.	Albus.	Propria.	Omit:	Omittitur.	De Nativit.	Benedicamus.	2. & 3. diei currentis.
S. Passio.	Viol.	Propria.	Omit:	omit:	De Cruce.	Benedicamus.	2. & 3. diei currentis.
De sancta Cruce.	Ruber.	Propria.	Omit:	Omit:	De Cruce.	Benedicamus.	2. & 3. diei currentis.
De Beata Virgine.	Albus.	Propria.	Omit: extra Sabb.	Omit:	Propria.	Benedicamus.	2. diei currentis. 3. de S. Spir.
SS. Angel.	Albus.	Propria.	Dicitur.	Omit:	Communis.	Ite.	2. & 3. diei currentis.
De SS. Apostolis.	Ruber.	Propria.	Omit:	Omit:	De S. Apostol.	Benedicamus.	2. & 3. diei currentis.
Temp. Belli & aliis.	Viol.	Propria.	Omit:	Omit:	Communis.	Benedicamus.	2. & 3. diei currentis.
Pro Defunctis.	Niger.	Propria.	Omit:	Omit:	Communis.	Benedicamus.	una vel plur. pro qualit. Missæ.



INDEX TITULORUM

De Instructione Practica de SS. Missæ Sacrificio rite offerendo.

PARS I.

DE MISSA IN GENERE.

PARS II.


De Ritibus in ipsa Missa observandis.



Angeli atque Arch an ge li, Che-



rubim quoque ac Se ra phim,



qui non ceſſant clamare quo-



ti di e, una vo ce di cen tes.

§. IV.


§. IV.

TONUS PRO ORATIONE DOMINICA.

Licet & hic duo Toni, unus Festivus, & alter Feriæ Iis præscribantur in Missali; quia tamen etiam hi modice differunt, pariter sufficiet, unum dumtaxat ex illis inserere.











for-



for mati au de mus di ce re.



Pater noſter qui es in cælis.



Sanctificetur nomen tuum. Adveniat



regnum tuum. Fiat voluntas tua,



ſicut in cæ lo & in ter ra.




Panem noſtrum quotidianum da nobis




hodie. Et dimitte nobis debita




noſtra, ſicut & nos di mittimus




debitoribus noſtris. Et ne nos



indu cas in ten ta ti o nem.



℟. Sed li be ra nos a ma lo.




Per o m ni a ſæ cu la ſæ cu lo-



rum. ℟. Amen.



Pax † Domini ſit † ſemper vobiſ†cum.




Et cum ſpi ri tu tuo.

§. V.

§. V.

TONUS ET CLAUSULA MISSÆ ADHIBENDUS.

Tempore Paſchali, hoc eſt, a Miſſa Sabbati Sancti uſque ad Sabbatum in Albis incluſive.




I te Miſſa eſt, Al le lu ja,




Al le lu ja.

In Feſtis Solemnibus:



I te e



e e

V e Miſ-




In Festis Duplicibus.





In Missis Beatæ MARIÆ.



In Dominicis, infra annum, in Festis Semiduplicibus & infra Octavas, quæ non sunt B. MARIÆ.




Mis-




In Festis Simplicibus.




In Dominicis Adventus & Quadragesimæ.




In Feriis.



In Missa Vigiliæ Nativitatis Domini, & in Festo sanctorum Innocentum.





In Missis Defunctorum.



CONCLUSIO TOTIUS INSTRUCTIONIS.

ATque hæc fere sunt, quæ ad propositum huic instructioni finem explicanda videbantur. Quia tamen ea non semper ad manum haberi potest, & aliunde non parum juvat, si ea, quæ variis in locis non nisi sparsim sunt indicata, sub uno aspectu collecta proponantur; ideo operæ pretium visum est, ut sequentes Tabulæ ordinem Missæ non tam pro Festis & Feriis, quam pro votivis clare & methodice exhibentes, ad calcem hujus Instructionis insererentur, ita tamen, ut etiam separari ab eadem, & si placuerit, per distincta folia Breviario imponi, aut alio modo servire queant.

TABULÆ DIRECTIVÆ
PRO SS. MISSÆ OFFICIO CELEBRADO.
In Dominicis per Annum.

Tempus.	Color.	Missa.	Gloria	Credo.	Præfatio.	Benedictio.	Orationes.
Adventus.	Viol.	Prop.	Omit:	Dicitur.	Communis.	Benedicamus.	2. Deus, qui 3. Eccles. vel pro Papa.
Ab 8. Epiphaniæ.	Virid.	Prop.	Dicitur.	Dicitur.	Communis.	Ite.	2. Deus, qui salutis. 3. Ecc. v. Pap.
a Septuagesima.	Viol.	Prop.	Omit:	Dicitur.	Communis.	Benedicamus.	2. A cunctis. 3. ad libitum.
A die Cinerum.	Viol.	Prop.	Omit:	Dicitur.	Quadrages.	Benedicamus.	2. A cunctis. 3. pro vivis, & Defunct.
A Dominica Passionis.	Viol.	Prop.	Omit:	Dicitur.	De Cruce.	Benedicamus.	2. Eccles. vel pro Papa.
Ab 8. Paschatis.	Alb.	Prop.	Dicitur.	Dicitur.	Paschalis	Ite.	2. Concede. 3. Eccles. vel pro Papa.
Ab Octa. Pent.	Virid.	Prop.	Dicitur.	Dicitur.	Communis.	Ite.	2. A cunctis. 3. ad Libitum.

In Feriis.

Adventus.	Viol.	Dominicalis.	Omit	Omit:	Communis.	Benedicamus.	Dominicales.
Ab 8. Epiphaniæ.	Virid.	Dominicalis.	Omit.	Omit:	Communis.	Benedicamus.	Dominicales.
a Septuagesima.	Viol.	Dominicalis.	Omit.	Omit:	Communis.	Benedicamus.	Dominicales.
a Die Cin.	Viol.	Prop.	Omit.	Omit:	Quadrag.	Benedicamus.	1. Prop. 2. & 3. Dom.
a Domin. Passionis.	Viol.	Prop.	Omit.	Omit:	De Cruce.	Benedicamus.	1. Prop. 2. Eccles. vel pro Papa.

Ab Octa. Paschatis.	Alb.	Dominicalis.	Dicitur.	Omitt.	Paschalis.	Ite.	Dominicales.
Ab Octa. Pentecost.	Virid.	Dominicalis.	Omitt.	Omitt.	Communis.	Benedicamus.	Dominicales.

In Duplicibus.

Tempus.	Color.	Missa.	Gloria	Credo.	Præfatio.	Benedicamus.	Orationes.
Adventus.	Ru- Al-	Pro-	Sem-	Ut	Pro-	Ite.	2. Feriæ.
Ab 8. Epiphaniæ.	ber bus	pri-	pe-	nota-	pri-	Ite.	Unica.
A Septuagesima.	pro pro	a,	r	tur	a,	Ite.	Unica.
A die Cinerum.	Mar- non	vel	di-	C.II.	vel	Ite, Evangel. Feriæ.	2. Feriæ.
A Dominica Passionis.	ty- Mar-	Com-	ci-	Ru-	Do-	Ite, Evangel. Feriæ.	2. Feriæ.
Ab 8. Paschatis.	ri- tyri-	mu-	tu-	bri-	mi-	Ite.	Unica.
Ab Octa. Pent.	bus.	nis.	r.	carum.	nicæ.	Ite.	Unica.

In Semiduplicibus.

Tempus.	Color.	Missa.	Gloria	Credo.	Præfatio.	Benedicamus.	Orationes.
Adventus.	Ru- Al-	Pro-	Sem-	Ut	Pro-	Ite.	2. Feriæ. 3. Deus, qui
Ab 8. Epiphaniæ.	ber, bus	pri-	pe-	nota-	pri-	Ite.	2. & 3. Domin.
A Septuagesima.	pro pro	a,	r,	tur,	a,	Ite.	2. & 3. Domin.
A Die Cinerum.	Mar- non	vel	di-	C.II.	vel	Ite, Evangel. Feriæ.	2. Feriæ. 3. A cunct.

A Do-

A Dominica Passion.	Mar-	Com-	Di-	Ru-	Do-	Ite, Evāgel. Feriæ.	2. Feriæ. 3. Eccl. vel pro Papa.
Ab Octa. Paschalis.	tyri-	mu-	ci-	bri-	mini-	Ite.	2. & 3. Domin.
Ab Octa. Pentecost.	bus.	nis.	tur.	carum.	cæ.	Ite.	2. & 3. Domin.

In Simplicibus.

Tempus.	Color.	Missa.	Gloria.	Credo.	Præfatio.	Benedictio.	Orationes.
Adventus.	Ce-	di-	t.	Fe-	ri-	æ.	2. de Sancto 3. Deus, qui
Ab Octa. Epiphaniæ.	Alb. vel Rub.	Prop. vel com.	Dicitur.	Omit:	Communis.	Ite.	2. & 3. Dominicales.
A Septuagesima.	Alb. vel Rub.	Prop. vel com.	Dicitur.	Omit:	Communis.	Ite.	2. & 3. Dominicales.
A die Cinerum.	Ce-	di-	t.	Fe-	ri-	æ.	2. de Sancto 3. a cunctis.
A Dom. Passion.	Ce-	di-	t.	Fe-	ri-	æ.	2. de Sancto tantum.
Ab Octa. Pasch.	Alb. vel Rub.	Prop. vel com.	Dicitur.	Omit:	Paschalis.	Ite.	2. & 3. Dominicales.
Ab Octa. Pentec.	Alb. vel Rub.	Prop. vel com.	Dicitur.	Omit:	Communis.	Ite.	2. & 3. Dominicales.

In Missis Votivis.

Votiva.	Color.	Missa.	Gloria	Credo	Præfatio.	Benedictio.	Orationes.
SS. Trin.	Albus.	Propria.	Omit:	Omittitur.	Propria.	Benedicamus.	2. & 3. diei currentis.
S. Spiritus.	Ruber	Propria.	Omit:	Omittitur.	Propria.	Benedicamus.	2. & 3. diei currentis.

INDEX TITULORUM

De Instructione Practica de SS. Missæ Sacrificio rite offerendo.

PARS I.

DE MISSA IN GENERE.

PARS II.

De Ritibus in ipsa Missa observandis.

Tit.

PARS III.

DE MINISTRORUM OFFICIIS.

PARS IV.
DE MISSIS PARTICULARIBUS.

PARS V.
De Benedictionibus & Processionibus.

PARS VI.
CONTINENS RUBRICAS DE RITU CELEBRANDI
Missam brevibus Notis illustrata.

Tit.

I N D E X

RERUM POTIORUM
In hoc libello contentarum.

A.

Dia-

Psal-

Ad Majorem DEI Gloriam.



2-2-2